



1
2
3
4
5
6
7
8

4



1702.

1. Carocius, Alexander: De teste singulari
2. Carve, Alexander: Programma, quo . . . ad Disputationem
nem in ang. . . . Henrici Christiani Schaefferi . . .
jura Facultatis nominat . . . invitat.
3. Mascovius, Petrus: De praescriptione feudii.
4. Mascovius, Petrus: Programma, quo . . . ad in ang.
Disputationem . . . a Petro Bernhardo Pleser pro
summis in utroque jure honoribus . . . consequen-
dis . . . habendam . . . invitat.
5. Mascovius, Petrus: De rerum permutatione.
6. Mayerus, Joh. Frid.: Obvinationem virtutis
Albini Luc. I. 35. ad Ductum oration. acad. Jo.
Georg Vorsthaei . . .
7. ^{10. 11.} Paethonius, Fr. Philipp: De marito reginae.
8. Schuck, Johannes: Disputatio Corallina de utilitate
praesentiae principum in consilio Imperii Romano-
Germanici.

1702

9^a - Schack, Johanna: De jure in Ratione Paganica

1705.

1. Gordenius, Henr. Christoph: De majestate Caesa.
- 2^a - Gordenius, Henr. Christoph: De propinquorum in sponsa.
Locus consensus necessario.
3. Gordenius, Henr. Christoph: De praescriptione quae
et normis creditorum opponitur.
4. Mascomas, Petrus: De sollicitatione et voto
5. Palkenius, Dr. Philippus: De Constitutione ady. Genio
nobilitatis civitatis.
6. Schack, Johanna: Disputatio Carolina sistens argumenta
quaedam juris publici de Capitationibus Imp. Rom.
Henr. ex suffragiis universum Imperii ordinem
concipienda; et de ejus perpetua forma.

1704,

1. Caroe, Georg Alexph: De filio-familias debitorum
sive ejusdem obligatione in universum.
2. Gundersius, Henning Christ: De impensis a Creditore anto-
christico factis.
3. Meserius, Petrus: Reputatio ordinariis exhibitio.
synopticam precarii tractationem
4. Palkenius, Johanna Philippus: De deponitione
5. Haegemann, August: De jure principis circa sacra.

1705

1. Caroeius, Georg Alexph: De his, quae, a morte
Caesaris, jure morisve publici sunt
2. Caroe, Georg Alexph: De solutione a Lordis facta
3. Gundersius, Henning Christ: De usuris mutui ex mora.
4. Palkenius, Dr. Phil: De jure principis dispensandi
circa leges praecipue penales. 2 Sauph.

17067

5. Pechterius, Jo. Phil: De jure principis dispensandi
circa Leges principales penales.
6. Saalbach, Christianus: De libris veterum.
7. Strackius, Johannes: De comitiis, ex pace
Ryswicensi: in imperium Romanum Germanicum
redundantes.

37.

1702, 7a

Handwritten marks: a flourish and the number 7.

5855.

DISSERTATIO
DE
MARITO REGINÆ,

quam
In Academia Patria
Fratres Germani

JO. PHILIPP. PALTHENIUS,
Juris Natur. & Gent. Professor
Ordinarius,

Et RESPONDENS
SAMUEL PALTHENIUS,
Jurispr. Studios.

ad d. 28. Janii, A. O. R. 1702.
publicæ disquisitioni
subjiciantur.

GRYPHISWALDIÆ,
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.



76

DEPARTMENT

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

Library of The University of Chicago

PHILIP PAUL THOMAS

PHILIP PAUL THOMAS



COROLLARIA.

I.
Imperium Civile non est
propago potestatis pa-
triæ.

II.
Societas paterna justis suis
limitibus inclusa vera so-
cietas non est.

III.
Omne Imperium Civile præ-
supponit pactum.

IV.
Consensus præsumptus non
est verus consensus.

V. Factum

v.

Factum humanum quod se-
met ipso absolvitur nec
ad aliud relationem con-
tinet, pro signo subsidia-
rio declarandæ volunta-
tis haberi nequit.



§. 1.



Qvod solenne hominibus est, ut quæ plerumq; fieri vident, necessario semper fieri opinentur, & ex privatâ hominum conditione Principum jura æstimant, id nunc quoq; multis usu venit, qui de recens inauguratâ Angliæ Reginâ inaudiunt, maritum habente, qui non sit Rex, sed qui uxori suæ subdit, & potestate omni, quam conjux habet, destitutus, eâdem cum reliquis subditis parendi conditione adstringatur. Qvod quâ ratione fieri, & legitime quidem possit, dum Viri etiam docti ambigunt, operæ nos pretium facturos arbitrati sumus, si rem illam dubiis suis, evolutam, & ad vera doctrinæ moralis atq; civilis fundamenta exactam proponeremus. Quo ipso non omnino malè de classe illa hominum videbimur mereri, qui quicquid ad dijudicandos mortalium mores attinet, è vulgaribus Theologiæ Moralis, aut Justinianæ Legis traditis depromi posse opinantur, inania illa & frivola, quæ Juris Naturæ nomen præferunt, consentes, quos nunc speramus etiam invitos utriusq; systematis inopia adducet, ut ultra scientiæ suæ metas patere cruditionem putent, ac de rebus sibi incognitis paulo in posterum benignius arbitrentur.

§. 2.

Ut autem ordine procedatur, primo quidem dubia, quæ circa vocabulorum sensus nasci solent, expedimus, deinde rem ipsam, quæ istis vocabulis designatur.

A

tur, proponemus, & petitis è recentiori historia exemplis illustrabimus. Tum in conditione regnorum, ubi obvia ista sunt, & in facti causas, quarum intuitu velut à recepta Imperii atq; matrimonii formula recedatur, inquiramus, deniq; hoc ipsum nulli nec divino nec humano juri contrariari ostendemus.

§. 3.

Circa vocabulum *Mariti* vix est quod moneamus, quo ipso hominem marem justo legitimoq; matrimonio foeminae junctum denotari tralatitium est, quamcumq; illa vitae, dignitatis, rerumque aliarum conditionem, quae matrimonii scopo adversa non sit, dicatur obtinere.

§. 4.

Ast circa vocem *Regina* majori opus est cautione. Rejicimus hic (1) significatum illum probatis Latinae Linguae autoribus non inustatum, ut pro divite quacunq; & velut Regiarum opum foemina idem usurpetur. *Vidd. ad Terent. Eunuch. Act. I. sc. 2. v. 87. Commentatt.* id quod cum mente Horatii non male convenit in vulgato isto: *Et genus & formam regina pecunia donat.* Dolendum est vero vocabuli ejus dignitatem, ex quo inprivatae sortis hominibus profanari coepit, cum tempore ita imminuisse, ut nunc etiam muliercula vulgato *Reginarum* nomine appellentur. Est (2) à nostra tractatione alienus ejusdem vocis sensus, qui foeminas denotat, aut sanguine regio ortas, ut de Ariadne Pasiphaes Reginae filia usurpatum Virgilio *Servius ad Ecl. 3. c. f. itemq; ad illud Aeneid. I. Donec Regina sacerdos Marte Gravis &c.* notat, confer *Du Fresne in Glossar. Med. & Infim. Latinit.* voce *Regina*, aut quocumq; modo ad familiam

liam eorum, qui regnum obtinent, pertinentes. Unde factum est olim, ut quemadmodum Imperatorum Romanorum Avia Matresq; Augustæ aut Imperatrices vocabantur, Vid. *Selden. Tit. Of Honn. Cap. 6.* ita eadem Imperatrices vulgo iterum Reginae appellarentur. Vid. *Mabillon. de Re Diplom. L. 2. c. 4. §. 2. & Ill. Spanhemius de Us. & Præstant. Numism. c. 8.* Nec (3) loquimur de mera conjuge Regia sive Regina quam vocant *Titulari*, i. e. quæ solo nomine talis est, & de dignitate Mariti Regis id trahit, ut Regina salutetur. Non aliaratione, quam quâ inter privatos consuetudo invaluit, ut de officio & dignitate virorum appellationem foeminae sortiantur, ut quæ Consiliario aut Doctore virgo nubit, foemina repente facta Consiliaria doctrixq; si ita latine loqui fas est, appelletur, quamvis raro fiat, ut ad capienda de Republ. consilia, aut ad propaganda Literarum monumenta eadem admittantur. : Quam consuetudinem foeminae non solum ultra Maritorum fata proferunt, ut dum viduæ sunt, de dignitate eorum cognominentur, sed solent etiam e numero earum paulo ambitiosiores inferiori nuptæ prioris matrimonii honorem sollicitè servare, cujus rei illustre nuper exemplum Eleonora Maria Austriaca dedit, quæ post mortem Michaëlis Poloniæ Regis Maritum sortita Lotharingiæ Ducem, Regina tamen Poloniarum constanter voluit appellari, cujus vocabuli nullam omnino efficaciam fuisse in propatulo est. Nec (4) intelligimus viduam Regiam, quæ forte impuberis filii tutelam gerit, aut ejus absentis nomine Republicam administrat, quam nonnulli Regiam *Regentem* vocare amant, non alio ut videtur sensu, quam quo modernus Iustitaniæ

tania Rex Petrus II. cum loco exautorati deinde fratris
 Alfonsi imperio præfset, Principis Regentis nomine
 se passus est appellari, ut nimirum id quicquid discrimi-
 nis est inter $\tau\delta$ regere & regnare, ipsumque regendi
 actum, & regni habendi jus, constitueretur. Quom-
 admodum titulo illo Reginae Regentis Catharina Medi-
 cea à morte Caroli IX. à Gallis ornata fuit, eundemque
 ab Henrico III. adhuc in Polonia absente confirmatum
 habuit. Vid. Thuan. L. 57. c. f. & 58. sub. init. Quorsum
 pertinet, quod inter omnia vicinae mortis Henrici IV.
 refert Grouart. in vit. Ej. ad Anno 1610. quod conjugii
 Mariae Mediceae, ipsum è cubiculo digredientem,
 moramque facientem præstolanti ridens dixerit: *Perge
 Domina regens.* Nec (5) de Regina hic agimus, quam
 vulgò *Regnantem* vocant, quæ scilicet nihil est, nisi Regis
 de præfenti regnantis conjux, regisque, qui ante regna-
 vit, viduæ opponitur, cujus rei exemplum vicina nobis
 Dania nunc præbet, ubi moris est, Carolam Amaliam,
 Christiani V. viduam die *verwittibte Königin* / & mo-
 derni Regis Friderici IV. uxorem Ludovicam, die
Regierende Königin / appellari, quæquam non magis
 hæc quam illa facultatem illam exercendi in Danos
 imperii, quæ penes solum est Regem, habere sit dicenda.
 Superest itaque (6) significatus vocabuli Reginae nostro
 argumento proprius, qui exprimit rem ipsam, & prin-
 cipem fœminam denotat, ipso opere regentem, quæ
 suo jure summum in Civitate imperium, quod regula-
 riter viris competere censetur, & habet ipsa & exercet.

§. 5.

Est ergo nobis Maritus Reginae is, qui Principi
 fœminæ hæreditario jure regnum possidenti matrimo-
 nio

nio est junctus, eâ quidem Lege, ut inito statu conjugali pristinam vitæ conditionem nequaquam mutet, neq; adco aut in conjugem imperium, aut ejusdem cum conjugè divisionem, nec deniq; post illius fata, nullo alio interveniente actu, qui jus peculiare conferat, in eodem imperio regnoq; successionem sibi vindicare possit. Quo ipso manifestum est, regni Thalamiq; jura separari, & maritum Reginae opponi Regi, & pro vero Rege Reginae quam diximus haberi, nequidquam sexus differentia obstante, cum & vocabulum Regis natura sua utriq; sexui commune sit, ut est apud Liv. L. 37. c. 3. *Legati à Ptolomæo & Cleopatra Regibus Egypti gratulantes* - - - *Et. Reges Egypti ad ea quæ consussisset Senatus paratos fore* - - - *Gratie Regibus acite nec infreqvens præterea est, ut virilis officii functio, quæ in muliere est, virili vocabulo denotetur. Sic Carefinus autor est Mariam Ludovici I. filiam, antequam Sigismundo deinde Imperatori nuberet, non Reginae, sed Regis nomen, quod cum Marito deinde commutavit, sustinuisse.* : *Elisabeth, inquit, Regina uxorq; dicti Regis Ludovici una cum Maria filia ejus Regimen Hungariae gubernabat quæ quidem Maria appellatur Rex Hungariae.* Conf. *Paul. de Paul. in memorabil. ad Ann. 1382.* qui in ipsa coronatione nomen illud Regis solenni ritum eidem inditum confirmat, unde & à Thwrocchio Rex *fæmineus appellatur.* Simile exemplum de Edelfleda, Mercie Domina, apud *Henricum Huntindon L. 5. Hiflor.* exstat, nec alio nomine frequentius, quam Regum Catholicorum Isabella Castelliana se pariter & maritum Ferdinandum designari passa fuit. Quod quanquã non absurde fiat, nobis tamen incongruum visum fuit, de

6
 Marito Regis dissertationem inscribere, ne cui forte de infandis criminibus, q̄valia olim à Nerone frequen-
 tata legimus apud *Sveton. in Vit. Ej. c. 28.* in mentem
 hic veniret. Quapropter receptam potius consue-
 tudinem sequemur, foeminaeque, quæ potestate regia
 est, Reginam appellabimus.

§. 6.

Dum vero Reginae ejusmodi Maritum Regi oppo-
 nimus, & conjugis suam superiorem esse negamus, cavendum
 sollicitè est, ne quis verba illa temere invertat, &
 asserere nos putet, quod in universum nemo, qui mari-
 tus Reginae est, habere regnum possit, aut quod idem
 conjugis sua continuo inferior sit existimandus. Fieri
 enim potest, ut qui in regno, ut ita dicam, matrimo-
 niali imperium sibi non acquirit, idem tamen in alia
 Republ. obtineat. Tum quoque medio loco inter eos,
 qui superiores invicem aut inferiores dicisoleant, sunt
 æquales, & qui utrinque regnum habent, communi-
 ter pro æqualibus habentur. Unde quicquid à nobis
 asseritur, supposita semper restrictione ad unum idemque
 regnum, quod Regina habet, nequaquam vero de
 diversis civitatibus est intelligendum. Id enim volu-
 mus, quod potestatem, quam in suo regno Maritus
 forte habet, in conjugis regno non habeat, & qui ut
 suæ Reipubl. caput spectatus, & ad Conjugem alterius
 Reipubl. caput relatus, dignitate eidem par est, in regno
 tamen conjugis dignitate eidem cedat. Ubi tamen
 cum prerogativa dignitatis sola ordinis ratio non est
 confundenda, cum ordinis illam prioritatem facile
 maritis olim uxores, nunc fere uxoribus mariti per-
 mittant, ita tamen, ut publice tuendi honoratoris loci
 studio-

studiofiores sint viri, quam in congressibus privatis. Nec de illa ordinis ratione inter pares, qui diverso domicilio utuntur, constituenda magnopere videtur laborandum, cum per Leges hospitalis elegantiae & humanitatis controversiae omnis ansa facile hic praescindatur. Diversitas quippe domicilii in eo casu, ubi capita diversarum Reipubl. connubio junguntur, necessario videtur supponenda. Eorum autem quae affirmavimus, veritas sequentem in modum demonstrari nullo negotio potest.

§. 7.

Primo enim concedi nobis postulamus, omne imperium civile natura sua esse simplex & indivisum, idemque in statu Monarchico sive regno non posse esse penes plures uno, salva ea quam diximus Reipubl. forma. Repugnat enim, civitatem unam non uno imperio regi, & divisio imperii factum utique, denotat constitutione imperii posterius, & eidem quoddammodo repugnans, facta qualicunque voluntatum, quae in imperante aut parentibus est, commutatione, ac quicquid imperium dividit, dividere quoque civitatem, & plures una respublicas efficere est censendum. Quae civitatis imperiique divisio etiam si non fiat, sed solus eorum qui imperant numerus augeatur, vocabulum tamen Monarchiae multitudinem quoque imperantium excludit, nec obscuram contradictionem apud eos, qui Graece intelligunt, pluralitas Monarcharum in uno eodemque regno involvit. Quae ubi adest, id quod olim Romae duobus aut tribus Imperatoribus indivisum regnum tenentibus legitur accidisse, quaequam duplex inde aut triplex civitas non enascatur, a regula tamen status Monarchici aberrari,

rari, & irregularem inde Reipubl. formam, quam alii parum commodè mixtam vocant, constitui præcipua diligentia demonstravit *Pufend. Dissertat. de Forma Reipl. Rom. itemq; Operis L.VII. c. 5. §. 15* Si itaq; in statu Reipublicæ Monarchico regulari, siue regno, contingat, jus illud imperii, quod in eodem est, ad Principem fœminam devolvi, sequitur omnino, quod idem salvo Reipubl. statu, nolente eâ, neq; eorum, neq;ve ex parte cuiquam præterea tribui, aut ab eodem citra injuriam usurpari possit. Quicquid itaq; juris ex status publici legibus nemo præter Reginam habere potest, id nec Marito illius competere est dicendum, nec ad cœlibem vitæ conditionem jura Principum adstricta sunt, ut matrimonio inito amittantur, quo ipso jus acquiri ad inferendam alteri injuriam absurdum est. Evidem in potestate Reginae est, remittere de jure suo & amori indulgere, si regnum in patrimonio ut ajunt habeat, vid. *Grot. L. I. c. 3. §. 11.* cujus tamen rei vix exemplum puto in fœmina exstare. Cæteroquin ubi publica regni Lege ad certam Reipubl. formam, certamq; familiam regnatricem imperium adstrictum, aut ordo successionis in eadem peculiariter est constitutus, opus quoq; est populi consensu, qui ad voluntatem Reginae accedens decretum mutandæ Reipubl. formæ aut novæ electionis vim continet.

§. 8.

Deinde notandum est, duplici omnino ratione fieri posse & solere, ut virgo regia, quæ pleno jure regina est, maritum fortiatur: Ut scilicet aut extraneo Regi Principique qui suæ Reipubl. caput est, nubat, aut ut subditum amore complectatur. Priori casu, qui inter
vicinos

vicinos frequenter accidit, cum & potestate & dignitate sint omnino pares qui summo utrinque jure imperant, quemadmodum Rex ille, qui suae Reipubl. imperium habet, eo ipso, quod alienae Reipubl. Reginam matrimonio sibi jungit, minime omnium id agit, ut conditionem suam deteriore reddat, ita nec de sua dignitate quidquam Regina delibatum cupit, nec a deo plus marito juris ex mero pacto matrimoniali in regnum uxoris quam uxori in mariti regnum nascitur, nec statim inito inter Reges matrimonio regna quoque copulantur, sed sunt illa manentque distinctissima, nisi quod arctiori plerumque foedere connectantur, & plena eorumdem conjunctio in communibus liberis procedat. Quamquam fieri possit, ut inter ipsos quoque conjuges verborum honoribus certetur, & qui corpus miscant animosque jungunt, titulos quoque & insignia & diversi simulacra imperii confundant. In rebus enim civilibus res ipsa semper à vocabulis, inania à solidis sunt separanda.

§. 9. Posteriori casu, aut alienae, aut suae Reipubl. subditus est, quem Regina sibi maritum deligit. Qui alienae Reipubl. subditus est sponsus, dum in regnum potestati conjugis subjectum semet confert, (ipsa enim Regina ut peregrini hominis domicilium sequatur, nescio an cum ratione postulari queat) locum quidem & obsequium praestandi obsequii, non vero ipsam subditi conditionem mutat. Quicumque enim alieni imperii finibus eo animo excedit, ut alibi fortunarum sedem figat, is eo ipso quidem, si caetera paria sint, illius Reipubl. subditus esse desinit, sed statim suo ad aliam Rem-

B

publ.

publ. accessu ejusdem iterum subditus evadit; aut expresse datâ fide, cujus obligatio nonnisi expressa vinculi laxatione, quoad in ejusdem Reipubl. territorio persistit, tolli potest; aut tacita securitatis publicæ fruitione, quæ quamdiu durat præstandæ subjectionis religio durare intelligitur; cum à ratione abhorreat, ut quis sine stipulatione obsequii imperio fruatur, aut ut sui juris esse velit, cui volupe est in alieno territorio versari. Si itaque subditus sit imperantis, qui quocunque consilio in loca potestati ejus subdita concedit, sequitur, quod nec incundi matrimonii casus à regula communi excipiatur, ni de natura matrimonii Regiæ esse demonstretur, ut obligationem civilem solvat, & inæqualitatem omnem, quæ inter conjuges ante id tempus erat, tollat; quæ de re videbimus deinceps. Si quem vero suæ Reipubl. subditum Reginae amor tangat, is dum amplexu Dominae potitur, nequidquam inde particeps fit imperii civilis, nec dum thalamum Reginae scandit, plus inde dignitatis, quam quæ primario subdito competere potest, sibi quarit. Quæ si contentus privatæ fortis homo non sit, efficiendum blanditiis erit, ut Regina dare quam habere regnum, aut nomen saltem regni malit. Quæ in re opus est expressa Conjugis Reginae voluntate, non verbis solum, sed factis in sensus incurrentibus, quæ in collatione diadematis in esse solent, declaranda. Nulla hic consensus qualiscunque præsumptio locum habet, quæ præviam supponit Legem, cujus nulla hic vestigia comparere in sequentibus demonstrabitur. Non ille consensus tacite censendus est adfuisse, cum inter signa extraordinaria declarandæ voluntatis concubitus non sit, nec in ipsa

in ipsa matrimonii natura lateat, ut jure suo Conjux Regia & liber populus privetur, cujus utiq; interest, quem illa potestatis suae aut socium constituat, aut designet successorem. Quamquam itaq; matrimonium privati hominis cum Regina initum inter occasiones acquirendi regni esse possit, proprie id tamen à speciali Reginae populiq; consensu velut à proxima causa pendet, quod ipsum manifestissime apparet, si princeps foemina remotioris a successione gradus, quae privato juncta erat, stante matrimonio ad imperium vocetur. Tum enim necesse non est, ut diadema, quo caput Reginae cingitur, mariti quoq; vertici imponatur, aut ut eodem sacramento populus uxori simul & marito obstringatur. Tantum certe abest, ut id fiat, ut ipse qui superior ante aut par conjugii suae fuerat maritus, nunc eadem inferior reddatur, ut ipse conditionem subditi induat, fidemq; & obsequium, & quicquid praeterea subjectionis Leges exigunt, debeat uxori. Deniq; si eandem sine susceptis ex eo liberis mori contingat, tantum abest ut ipse ad successionem in regno jus habeat, ut potius ab eadem continua regnorum Legge & consuetudine excludatur, ni peculiaris meriti ratio omnino novam ad solium viam pandat. Juvat singula adductis è recentiori historia exemplis illustrare, cum & certiora sint illa antiquioribus, & majori ad vitam usui esse possint.

§. 10.

Priorem casum status Regni Hispaniae qui sub initium seculi XVI. erat, luculentissime explicabit. Ea tunc in duas praecipuas partes Arragoniae Castiliaeque regnum divisa erat. Illud haec ditario jure ad Ferdinandum,

B 2

dum,

dum, hoc ad Isabellam pertinebat. At qui conjugium, quod conciliantibus procerum studiis cum Isabella Ferdinandus inivit, nec Isabellæ Arragoniæ regnum nec Castellæ regnum Ferdinando contulit, sed utraq; pars conjugum destinata regnorum unione communibus Liberis permissa, sua sibi peculiaria jura constanter servavit; nec aut potestate dignitateq; inferior marito uxor, aut uxore maritus fuit. Quod enim accurate notat *Ælius Anton. Nebriss. de Gest. Ferdin. & Isabel. Dec. I. L. III. c. 1.* defuncto Henrico fratre Isabella statim Reginam semet appellari jus sit, manumq; subditis, ut in Castella imperantibus moris est, osculandam præbuit, id tantum honoris Marito deferens, ut nomen ejus modo priori, modo posteriori loco positum homagii formulæ infereretur, ita quidem conceptæ, ut pro veris & indubitatis hæredibus Dominisq; NB. *Hispaniarum* Ferdinandus atq; Isabella agnoscerentur, quo ipso speciali Castellæ regno, regniq; ejus ad ipsam solam pertinenti juri nil derogatum cupiebat. Qua Reginae moderatione cum Ferdinandus contentus non esset, & plus sibi juris in dotali regno, quam Reginae benevolentia concederet, vindicare videretur, orta inter conjuges dissensione, cum res in disceptationem publice adduceretur, cum deniq; sortita est eventum, ut & hæreditas regni, & successio & administratio Reginae soli tribueretur *Id. Ib. c. 2.* quæ tamen deinde facti invidia callide in Regni Proceres derivata, quicquid lata judicum sententia obtinuerat, largiri Marito visa fuit, exquirit hoc verborum honore offensam mitigans: Nil opus fuerat, o jucundissime conjux, altercatione tam longâ, ubi tanta est animorum conjunctio. Nam si quemadmodum auctori ex quodam antiqui-
tatum

satum peritissimo in sponsalibus hæc fuere verba sponsæ ad spon-
 sum, ubi Tu Cajus, ibi ego Caja, h. e. ubi tu Dominus, ibi ego
 Domina, cur mihi non liceat inde mutuari, ubi ego Regina, ibi
 Tu quoque Rex? Qui enim sis mihi Conjux dulcissimus, idemque
 Dominus non modo meus, sed rerum omnium mearum, quicquid
 ab his Legum consulis decretum sit, nibilo minus Tu Hispania-
 rum Rex es, quam ego Regina, mihiqve hoc animo sedet, ater-
 namqve sedebit, me atqve omnia mea tuo arbitrio administranda
 permittere, cum præsertim futuri sint nobis omnium rerum nost-
 rarum communes heredes; sed quando ita visum est Regni Primo-
 ribus, qui hoc negotium in controversiam deduxerunt, non abs-
 ruerit quare illa juris deci-
 sio, quod ad nos attinet, nihil profuerit, nihil nocuerit, sed fuerit
 quasi quoddam præjudicium ad ea, quæ possunt aliquando contingere.
 Quæ omnia inania esse, res ipsa loquitur. De-
 conjunctione animorum, quam scilicet regni cupiditas non interturbet,
 ipsa quæ exorta erat altercatio testabatur. Nec obscure Regina de
 Cajo Cajaqve verba faciens, quod in Castellæ regno Marito largiretur,
 in Arragoniæ regno sibi vicissim tribui volebat; tum quoq; sola regni
 Castellani administratione, quæ nimirum nomine uxoris, & de
 voluntate ejusdem facienda esset, contentus Ferdinandus erat, quam
 & ipsa Ministro suo primario privatæ sortis homini poterat
 commississe. Accedit, quod callide satis, quicquid potestatis
 Isabella Marito indulgebat, mutuo conjugum consensui superstructum
 esset, ubi dubium non est, potiores sentiendi partes Regnam sibi
 tribuisse, cui consentire non aliud quam parere erat, nec obscurum
 est, si dissentire à Regina maritus voluisset, nullius illud ad
 summam rei efficaciam fuisse. Nec

solum cautè de se loqvebatur Isabella, sed & omnes actiones communi nomine obeundas mirâ prudentia temperavit. Moneta enim quæ eudi curabatur, insignia Castellæ & Arragoniæ conjuncta quidem, sed illa tamen potiori loco posita, nomenque conjugum hoc modo expressum referebat: *FERDINANDUS ET ISABELLA D. G. REX ET REGINA*. Vid. *Luc. Marin. Sicul. de Reb. Hispan. L. 19. p. 472.* quæ verba de propriis cuique regnis exaudiri poterant. In diplomatibus scriptisque publicis ita imperantium nomina concepta erant: *Ferdinandus Rex & Isabella Regina Castellæ, Legionis*. Quo ipso Regium quidem titulum, Arragoniæ scilicet respectu habito Marito tribuebat, sibi vero Castellæ titulum integrum servabat Isabella; alioquin convenientius fuisset ita loqui: *Ferdinandus & Isabella Rex & Regina Castellæ, Legionis*. Clarissimè vero omnium circa mortem Isabellæ, rei quam diximus veritas emicuit. Non enim ex testamento Reginae ad Ferdinandum successio, sed ad Johannam filiam pertinebat, quam ipse pater, mortua vix matre, Castellæ Legionisque Reginam proclamari iussit. Vid. *Luc. Marin. Sic. p. 512.* Ipse vero, ut ne filia quidem par dignitate in eodem regno videretur, nudum Regis Castellæ nomen solenni ritu deposuit, vid. *Gomez. de Reb. Gest. Francisc. Ximenii L. 3. p. 980.* sola regni procuratione, dum filia abesset, in se suscepta, de voluntate ipsius non solum, sed & ejusdem nomine peragenda.

§. II.

Non dispar rerum status in eodem regno sub Johanna Isabellæ filia fuit. Ea enim cum Philippo Austriaco, Maximiliani Imperatoris filio, Belgique & Terra-

& Terrarum Burgundicarum Domino matrimonio juncta esset, sola ut diximus Testamento matris Reginae constituta, ipsa regni administratione non marito, cui filiae causa infensissima socrus erat, sed Ferdinando patri permessa, ut adeo ex mente parentum nil nisi Maritum Johanna Reginae ageret Philippus; nec sine ratione dubitari possit, utrum majori unquam jure, quam quod Marito Reginae competit, gavisus fuerit, quatenus vulgo, omissa etiam conjugis mentione, inter Castellae Reges nomen ejus referatur. Non enim de facto ambigimus, sed quo jure id fiat haesitamus. Si quidem certum est, Isabellam, quae Castellae regnum habuerat, Anno 1504. obiisse, & à morte ejus Ferdinandum nomine Johanna filiae idem regnum administrasse, qui cum ducta in matrimonium Germana Foexia ultra alieni regni procuracionem cupiditates proferre videretur, Johannam constat, ut regnum sibi vindicaret, Anno 1506. è Belgio in Hispaniam cum Marito trajecisse, ubi idem in itinere ad urbem Regiam constitutus, vitam finiit. Equidem dubium non est, quin & si vixisset, facile socerum Ferdinandum cura dotalis regni deturbasset, nec difficulter incredibilis amor, quo ad insaniam usque Philippum Johanna prosequeretur, ab eadem impetrasset, ut & nomine regio maritima dignaretur, & rerum omnium arbitria ipsi permetteret, cui voluntati ejus tanto minus refragaturi ordines regni erant, quanto propius ab Imperatorio fastigio Philippum abesse sibi persuadebant. Non verò de futuris, sed praesentibus quaerimus, nec de nomine regio, à quo clam forte vis ipsa regni non abfuisset, sed de ipso regni jure, an illud à parte Philippi steterit disquirimus.

§. 12. Ad

§. 12.

Ad idem Hispaniæ Regnum casus pertinet Philippi II. nepotis Johannæ, ex quo idem cum Maria Angliæ Regina matrimonio junctus fuit. Quamquam enim hoc ipso id quæreretur, ut quæ ante id tempus familiaris Austriæ felicitas fuerat ut nubendo regna acquirerent, Britannia exemplo renovaretur, scopum tamen obtinere nec Carolus V. Imperator, nec Philippus, quem ipse Neapolitanum Regem fecerat, potuerunt, cum inter condiciones pactorum dotalium a sponsæ parte conceptas, id esset: ut contractis inter Mariam & Philippum nuptiis Philippus quidem omnium uxoris regnorum & provinciarum titulos sibi sumeret, sociusque in negotiorum administratione esset, integris Regni privilegiis ac consuetudinibus, plena item ac libera beneficiorum, gratiarum, & functionum distributione penes Reginam remanente; vicissim Regina in societatem regnorum omnium & dominiorum Philippi Mariti, quæ ipse jam possideret, & ei postea obventura essent vocaretur. Conventum porro, ut qui ex eo matrimonio filius nasceretur, in omnia regna ac dominia Regine, præterea in Belgii Burgundiisque Principatus succederet - - - inter Philippum ejusque hæredes & inter Reginam ejusque Liberos & hæredes & utraqve regna ac ditiones constans amicitia, concordia, & fœdus perpetuum sit atque involabile. Vid. Thuan. Histor. L. 9. p. m. 339. Quæ omnia solenni Ordinum decreto sequentem in modum sunt confirmata, addito, ne Philippus sit Liberos, quos à Maria suscepit, nisi cum Procerum Angliæ consensu à regno educere, sed adolescere ibidem & in spem successionis educari pateretur, ne Regina ipsa sequi ipsum extra regni limites cogeretur, ut eadem sine Liberis defuncta Philippus nullum haberet in regno jus, sed illud omnino liberum veris hæredibus

dibus relinquere teneretur, ut vivente etiam Regina in iis, quæ ad jura sive publica sive privata, immunitates & consuetudines regni spectant, nihil innovaret, gemmarum & pretiosa suppellectilis nihil ex Anglia avehi curaret, nihil ex patrimonio regio alienaret, naves & munita loca ab Anglis custodiri curaret, denique ut connubii hujus ratione nihil foederi inter Gallia Regem & Regnam Angliæ nuper inito derogaretur, paxque inviolata inter Gallos & Anglos maneret, relicta tamen Philippo potestate, ut ex suis regnis atque ditionibus pro lubitu Gallos infestaret. Quod ipsum expressioribus verbis confirmat Natal. Com. Hist. sui Temporis L. 8. p. 164. cum quæ conf. p. ejusd. 181. itemque Burnet. Histor. Reformat. P. II. p. 175. Ex quibus omnibus colligimus, sola communicatione titulorum, quorum sequentem formulam exhibet l. c. Natal. Com. Philippus & Maria D. G. Britannia, Gallia, Neapolis, Solymorum, Hyberniæ Rex & Regina, Fidei defensores, Hispaniarum & Sicilia Principes, Archi Duces Austria, Duces Mediolani, Burgundia, Brabantia, Comites Habsburgia, Flandria & Tyrolis &c. ut & effecta utriusque imperii consociatione, cum mutua sit illa & inanis, peculiaris juris nihil in regnum uxoris Philippo Marito quæsitum esse. Si enim collatio beneficiorum atque munium in Republ. quæ sola sine prævio Ordinum consensu in potestate Angliæ Regum est, discretis verbis Reginae fuit servata, utique vis ipsa imperii Marito Reginae adempta fuit. Si foedus inter Reginam atque Regem intercedere debebat, si salvo Philippi cum Maria conjugio Philippus hostilia adversus Gallos exercere, Maria vero amicitiam cum Gallis colere & poterat & debebat, dicendum est omnino, & summo utrumque conjugii imperio præditum mansisse, velut ex quo pangendi foederis facultas fluit, & diversas imperantium

C

per-

personas Maritum conjugemq; sustinuisse. Si deniq; de
 functa Regina, qui ex eodem matrimonio proventuri
 sperabantur liberi, succedere in Regno Angliæ debe-
 bant, sequitur quod illius successionis jus Philippo ne-
 quaquam fuerit collatum. Nec fluxam pactorum ejus-
 modi fidem fuisse res ipsa docuit, cum & Philippus
 quiescente Regina Gallos oppugnaret, & deinde Regina
 Anno 1557. excepta Mariti causa suo nomine bellum
 Gallis indiceret, *vid. Aut. Anon. Annal. Angl. & Thuan. l. 19.*
 & defuncta eadem Philippus spe omni, quam animo
 forte conceperat Angliæ potiundæ lapsus, sorori ux-
 oris regnum relinquere cogeretur.

§. 13.

Posteriorem casum, exempla utriusque *Johanna*
Neapolcos Reginarum firmant. *Johanna I.* à *Carolo*
filio Nepti suæ testamento regnum legaverat *Robertus*
Andegavensis, additâ conditione, ut eadem à se
 adoptato nepoti suo *Andræ* nuberet, & paribus cum
 eo auspiciis regnum gubernaret, quorum tamen ver-
 borum laxiorem interpretationem, quam aut *Bonfin.*
Hist. Hungar. Dec. 2. l. 9. p. 352. aut *Pandolph. Collenut. Hist.*
Neapolit. l. 5. pag. 215. contendunt, faciendam esse, ea
 facile evincunt, quæ *Raynald. Contin. Baron. ad Ann.*
1343. tradit, & ex ipsis rerum gestarum monumentis,
 quæ ne inter Tutores quidem Reginae locum *Andræ*
 relinquere probat. Cum quibus factum *Johannæ*
 satis apte congruit, ut quæ mortuo *Roberto* Maritum
 quidem *Andream* accepit, sed administrationem regni
 sibi retinuit, quam cum invita Regina sibi vindicaret,
 & inænem Regni titulum artibus *Elisabethæ* Matris &
Ludovici Hungariæ Regis largitionibus à *Papa* impe-
 traret,

traret, pro diademate laqueo cinctus calamitose vitam finit. Vid. *Petrarch. Epist. Famil. L. 6. n. 5.* Quam vram mortis ipsius causam fuisse, quæ in levitate animi & libidine uxoris plerisque collocatur, nec dissimulat penitentiillarum rerum cognitione instructus *Bonfin. l. c. L. 10.* & aperte formula literarum Ludovici Hungariæ Regis ob oculos ibidem posita ostendit. Sed evidentis simè omnium veritatem rei secuti matrimonii eventus declaravit; siquidem mortuo Andrea in matrimonium Johanna Ludovicum cognatum duxit, non alio diu quam *Tarentini Principis & mariti axiomate insignem*, cum ipsa Regina non solum appellaretur, sed suis omnia auspiciis legatur gessisse apud *Pandulph. Collen. L. c. pag. 217. seqq.* Consensit equidem deinceps, ut regio nomine gauderet Maritus, sed expressa conditione diplomati Pontificio adjectâ: *quod non sit intentionis sue, ut, quod per concessionem tituli & denominationis Regia dignitatis ac inunctionis & coronationis obtinenda faciendum, & executioni mandandum, aut factum & executioni mandatum sit, liberaliterque & benignè concedatur, aliquod jus sibi in regno & terris prædictis, in dominio, proprietate, seu possessione aliquoaliter propterea acquiratur. Ipsâ quoque mortuâ Reginâ in Regno successio Ludovico verbis sequentibus adempta, & ad sorores conjugis restricta fuit, ut sine liberis conjugis defuncta, & ad sorores delata successione ne nomen quidem Regis Ludovicus retineret, vibrato anathematis Pontificii fulmine, si promissis contraria facere auderet.* Vid. omnino *Raynald. L. c. ad Anno 1352. p. 328.* Post mortem Ludovici Johannam inter & *Jacobum Balcarem* matrimonium coit, in cujus Legibus id erat: *ut Jacobus Sicilia Regis titulo abstineret, nec deberet aut posset coronationem aut*

inunctionem, aut ligium homagium à Comitibus, Baronibus, & regnicolis, cujuscunqve conditionis, status & gradus illi sint, tanquam Rex Siciliae RIR diſta REGINÆ exigere, ſed ſolum habere Sacramentum aſſecurationis, nec de adminiſtratione diſti Regni a: provinciarum quomodolibet ſe intromitteret, quæ penes ipſam Dominam inſolidum deberet remanere: Nulla marito potestate poſſidendi muniti loci, introducendi in regnum militis, aut adipiſcendæ ſucceſſionis ſpe relicta, vid. d. l. Raynald. Unde porro patet, non alio quam Calabria Principis titulo inſignitum Jacobum fuiſſe, & cum deinde memoratis conditionibus ſtare nollet, primo quidem exilio, & mox morte ſua regnum conjugis firmariſſe, quæ viduum thorum brevi inſtaurans Ottoni Duci Brunſwicenſi eadem cum Jacobo conditione nupſit, de quo notanda ſunt verba Gobelini Perſona in Cosmodromio Ætat. 6. c. 76. Ex his inquit perpendi poteſt liquido, in quanta diſpendia maledictionis papalis ſententia adverſantes ſibi deduxerit, cum DOMINA JOHANNA SICILIÆ REGINA, MARITUS QUÆ EJUS DUX OTTO tot divitiis, tantaq. potentiâ ſatis ſunt raris ſubdito ad infelicitatis inſidia dejecti. Conf. Colletus L. c. p. 226. itemq; Theodor. à Niem in Nem Union. Sunt equidem qui Ottonem Principis Tarentini titulo à Conjuge ornatum ſerunt, vid. Aur. Bull. Andronici Imperat. apud Meibom. Rer. German. Tom. I. p. 478. quod alii tamen in dubium haud uno argumento nixi vocant. Quicquid ejus ſit, certum eſt axiomate regio, quod temere ipſi tribuit Lohmeyerus in Tab. Geneal. inſignem haud fuiſſe, aut certe potestate regia regniq; jure, quod ipſo inſpectante conjux exercuit, & in filium adoptivum tranſtulit, caruiſſe. Conf. Rittershuſ. in Tab. Geneal. p. 74.

S. 14. Scuta

§. 14.

Secuta est exemplum Johanna I. Johanna ejus nominis II. Neapoleos Regina, & accepto à Ladislao fratre imperio Maritum sibi delegit *Jacobum Narbonensem* Piceni sive Marchiæ Comitem, Regia Gallorum stirpe oriundum, ea conditione proposita, ne Neapolitani Regis, sed Tarentini Principis Ducisve nomen usurparet. Vid. *Pandulph Colleenut. L. c. p. 248.* quam conditionem ipse cum Nobilium favore fretus deinde violaret, & nomen non solum sed & autoritatem Regiam exclusa conjuge sibi tribueret, suorum insidiis circumventus, carcerique inclusus, nec libertati prius restitutus fuit, quam ad pristinas initi conjugii Leges de novo se adstrinxisset, ut nimirum Regina fasces regios, ipse non nisi Comitis dignationem retineret. Id. *ib. p. 252.* Quod ipsum Scriptor Pontificii Diplomatis ita exprimit: *Concordia & Pax inter Carissimam in CHRISTO filiam Johannam REGINAM Sicilia illustrem, & dilectam Filium, Nobilem Virum ac Principem Jacobum, PRÆFATÆ REGINÆ VIRUM de inelyta domo Francorum trahentem originem tractata & conclusa fuit.* Vid. *Continuat. Baron. ad Ann. 1418. n. 31.* Hac conditione liberatus è carcere Jacobus, cum res novas moliretur, Tarenti ab uxore obsessus, indeque in Galliam profugere coactus fuit, ubi regnandi cupiditate deposita cucullum induit, liberamque ad usque vitæ finem Neapolitani regni administrationem Johanna permittit.

§. 15.

Ne quis autem in solo regno Neapolitano subditos Reginarum Maritos deprehendi putet, unicum adhuc, quod Scotia regnum præbet exemplum adjungemus.

C3

Notum

Notum est vero Jacobum V. cum decederet, unicam hæredem regni filiam recens natam Mariam reliquisse, quam à morte patris Reginam Scoti appellarunt. Illa cum nobiles ætatis annos attigisset, matrimonium cum Francisco Delphino, Henrici II. Gallia Regis filio iniit, ejus nomine cum postularetur, ut *Maritus Regina Rex* simul crearetur, uti loquitur *Buchanan. Rer. Scotic. L. 16. p. 583.* aut ut Scoti corona quam Galli novo nomine matrimonialem vocabant, *Maritum (sue Regina)* ornarent, id. ib. p. 588. obtinuit id quidem volente Maria, & ordinibus regni adstipulantibus, suppositâ tamen quam Delphinus ipse tulerat conditione: *ut è nomine regio nullum emolumentum, nulla potentia præter nudam vocis illius usurpationem esset accessurum.* Unde & Maria deinde non Regina tantum, sed velut illustriori & augustiori nomine *Regens* dicta fuit. Sed de Francisco, qui deinde Gallia Rex factus est, adeoq; ad priorem dictorum classem referri potest, dicere hic nihil attinet. Videamus eoque Francisco mortuo in virum sibi adsciverit Maria. Erat is *Henricus Stuartus, sive Darlaus, Levinia Comes, Regina Anglorum Elisabetha* subditus, quem ob solam formæ elegantiam amare primum cœpit, & Rothsaji Ducis encomio ornatum accedente Procerum consensu, celebratis publice nuptiis maritum sibi fecit, sed cum simul intemperantiâ amoris acta maritum suum Regem præconio pronunciarî jussisset, non solum permolestè illud Regni Ordines tulere, sed & ipsa paulo post pœnitundine ducta, quod temere & prærupte factum erat, ordine velut & per gradus immutavit. Cum enim in diplomatibus scriptisque publicis receptum initio esset, ut Regis simul & Reginae nomen exprimeretur, primum utroq;

utroque nomine servato mutatus tantum est ordo, ut Regina Regi præponeretur, quod ipsum in eudenda quoque moneta observatum esse, exemplum nuper in *Observat. Hamburg. ad d. 25. febr. c. a.* expressum testatur. Deinde sumpto de Henrici venationibus & aucupiiis prætextu, Regina sola nomen suum scriptis publicis præfigi, & pro ambobus sua manu subscribi voluit, quo ipso autoritas omnis & beneficiorum omnium gratia ad ipsam solam redundavit, Henricus vero procul à negotiorum & consiliorum conscientia remotus, cum nec amicitia ejus cuiquam fructuosa, nec ira formidabilis esset, brevi in contemptum omnium venit. Quem ut auget Regina paulatim aulâ & domicilio suo Henricum exclusit, ut pro voluntate sufficientem conveniendæ uxoris facultatem non haberet, quæ modo cum injecto mortis metu, ni obsequeretur, secum duxit, mox iterum unde venerat, præpropere redire jusfit. Ne quæ porro honoris regii umbra superesset, edicto cavit, ne quis Procerum venienti assurgeret, aut salutem Regio more diceret, ne hospitio in aula ipsi cederet, aut in Legatorum conspectum venire pateretur, ministris quoque qui ad usus quotidianos eidem attributi erant, ut & tuendæ dignitatis subsidiis omnibus detractis, ita quidem, ut vasis argenteis, quæ à nuptiis regii usus fuerat stannea supponerentur; donec ipse æmulorum insidiis oppressus miserrime vitam finit, cujus occisi cadaver, ne quid Regiæ dignitatis mortuo etiam deferri videretur, per bajulos de nocte sine ullo funeris honore sepultum fuit. Vid. *Buchan. L. c. passim. Confer Heclor. Boëth. in Catalog. Reg. Scot. cujus verba sequentia, Henricus Stuart, Mathei Stuart, Comitis Loynossensis filius, qui viduam*

Frans-

Francisci II. Scotiae Reginam in Uxorem accepit, manifestum quod in Henrico erat Regis à Marito Reginae discrimen agnoscunt. Post eadem Darlei novo connubio Maria Jacobum Bodvellum Ducis Orcadum axiomate insignem honestavit, quo ipso tamen à conferenda dignitate regia tantum abfuit, ut ipse semet juramento obstringere, fidemque publicè dare cogeretur, se nullam inde praecellentiam aut supremi gradus fastigium spectare, sed id unum, ut per inde Regina, atque adhuc fecerit, quoad viveret pareret atque inserviret. Vid. Buchan. d. L. p. 674. Unde factum est, ut & ipsa non alio quam Mariti & conjugis vocabulo Jacobum dignaretur, & ab aliis conjugum mentione facta non alia quam Reginae & Bodvelli voces usurparentur. Vid. *Id. lb. p. 677. sqq.*

§. 16.

Quod itaque Scotiae Regno olim accidit, id ipsum nunc in Anglia videmus contigisse. Et videbatur utique casus ille jam anno 1688. existiturus, cum exauctorato Jacobo II. & excluso, quem vocabant, Walliae Principe jus regni Anglicani ad Mariam Jacobi filiam Guilielmi Arausionensis conjugem devolveretur, ni ipse insolitae virtutis aestimatione Anglos eo permovisset, ut sibi una cum conjugis Regnum post mortem etiam conjugis habendum decerneretur, rejecto demum post fata utriusque Annae jure. Quod quidem factum cum parum Annae gratum esset, eleganter Angli excusabant, Mariae quidem jure sed Guilielmo merito deberi regnum confirmantes, nec tamen Annae persuaserunt, quominus injuriam sibi factam reputaret, cujus sensus altius in animum ejusdem videtur penetrasse, ex quo mortua sorore sola Guilielmi viratà, à regno semet excludi vidit,

dit, quæ si Gvilielmo diuturnior contigisset, fieri omnino poterat, ne ad regnum unquam illa perveniret, quod nunc tamen expectationi ejus fata indulserunt. Idem vero casus, qui Reginam Annam fecit, Maritum ejus *Georgium Danie Principem* non fecit Regem, sed multis cum nominibus conjugis suæ potestati subdidit.

I. Enim quemadmodum omne imperium civile ad subditorum obsequia respectum habet, ita continentium utriusque rei relationem Leges Angliæ supplicant, ut alterum sine altero intelligi non possit, sed dicente Calvino in *Cas. protectio subjectionem trahat, subjectionem protectionem*. Posito ergo Rege aut Regina Angliæ ponitur populus Anglicanus, quo nomine quicquid præter Regem Reginamve liberorum hominum regni fines continent, denotatur; positæque obligationi Regiæ, quæ ad legitimè gerendum imperium, tutelamque regno præstandam populo suo Princeps adstringitur, obligatio fidei subjectionis & obsequii in subditis respondet. Unde & in actu Inaugurationis Regiæ moris est, ut qui sacra peragit Episcopus exquirit prius populi de præstandâ inaugurando fide atque subjectione consensu, his porro verbis Candidatum dignitatis Regiæ alloquatur: *Promittiane solenniter & juras, Te POPULO Regni Anglicani eoque pertinentium provinciarum ad normam & præscriptum statutorum Parlamenti Legumque & statutorum Regni præfuturum &c.?* quo promisso præstito diademata cæsoleni ritu imponitur, quo facto is quidem imperii in Anglos exercendi jus habet, & Angli omnes subjectionem illi & obsequia debent, quorum præstationem Proceres Regni disertis verbis, reliquæque circum-

D

cum.

cumstans turba pro ratione affectus confuso murmure aut læta acclamatione in se recipiunt, ad cujus vinculi naturam significandam annulus datæ mutuo & acceptæ fidei pignus adhibetur. Vidd. *acta Coronat. Guilielmi & Mariae ap. Mieg. p. 96. itemque Becmann. Syntagm. dign. Illustr. disert. 6. c. 4. §. 7.* Est autem ejus obligationis à parte subditorum contractæ ea vis atque insoles, ut facile simul omnes etiam absentes aut injuratos Angliæ Civis stringat. Unde & ipsorum factum tacito huic pacto contrarium Treason, i. e. perduellio vocatur, & rigidissima violatæ subjectionis & velut laxati ejus, quod Regem subditosque connectit, vinculi pœna afficitur, cum in Legibus Anglorum contra Legianciæ debitum, & contra coronam dignitatemque Regiam agere unum sit idemque. Conf. *Sanderson. Cas. Of. engag. p. 108. seqq.* Quin vero vocabulo populi Anglicani Georgis Daniæ Princeps contineatur, dubium non erit, præsentem regni Procerum Catalogum intuenti, quem exhibet Chamberlain *Notit. Angl. Part. II. p. 49. conf. id. ib. Part. I. p. 183. & 228.* ex quibus omnibus inter se collatis patebit, non alio ipsum jure, quam quo Principes Regio Anglorum sanguine oriundi gaudent, uti posse, quos in potestate Imperantis esse, & ne privatae quidem familiæ regendæ jus habere, constat; ut adeo non major eorum dignitas sit, quam ut primum inter subditos, proximumque ab Imperante locum obtineant. Et quanquam reverentiâ fastigii ejus, à quo proxime sanguine regio orti Principes absunt, invidiosa subditi appellatio iisdem non impingatur, res ipsa tamen, quæ vocabulo eo designatur omnino in eisdem competit, & qui non imperat, parere cogitur. Tertium enim hic non datur.

II. Negari

II. Negari non potest, inter Vasallos quoque Annæ Reginae Georgium Principem nomen profiteri. Possidet enim in Anglia Ducatum Cumbriae (Cumberland) Comitatum Cancangii (Kendal) & Baroniam Ockinghami, prout subjecta tituli ejus formula demonstrat: *Georgius Princeps Hereditarius Daniae atque Norvegiae, Gotthorum & Vandalorum, Dux Slesvici, Holsatiae, Ditmarsiae atque CUMBRIÆ, Comes Oldenburgi, Delmenborstii & CANGANGII, Baro OCKINGHAMI, unde & communi cum reliquis Angliæ Ducibus, Comitibus, Baronibusque feudali nexu Reginae obstringitur, nec minus conjugii feudorum Dominæ, quam Affini Gvilicmo, fidelitatis sacramentum sequentibus verbis conceptum flexo genu præstare tenetur: Ich werde euer eigen Mann vor Eied zu Eied / und wil euch alle Ehre erweisen / wahr und getreu mich vor euch bezeigen / vor euch leben und sterben / wieder allerhandt art Leute / so wahr mir Gott helffe. Vid. Becm. L. c. p. 638.*

III. Quoque idem peculiari nunc sacramenti religione ut Minister Reginae obligatur. Quomodo enim supra diximus in universum de conditione subditi Anglicani id esse, ut fidem, atque obsequium tacite aut expresse Regi promittat, quorum alterum ad pauciores spectat, alterum obscurius est atque laxius, ita Leges Regni requirunt, ut quicumque vulgari subditorum conditione relicta, officio publico fungi velit, disertis conceptisque verbis & juramento quidem firmatis imperanti semet obstringat. Cui obligationi quæ inter Principem atque ministros subditosque est, cum nihil magis repugnet quam opinio eorum, qui Romano Pontifici exautorandorum Regum, liberandi à jurejurando

populi, aut aliam quamcunq; in alienâ ditione autoritatem potestatemq; parem Regiæ aut superiorem, tribuunt, hinc ab ipso tempore reformatæ in Anglia religionis receptum fuit, ut iactato huic pontificio iuri expresse ab officio publico fungentibus renunciatur, adcoque duplex iuramentum, quod Angli *the Oath of allegiance and Supremacy* vocant Regi præstetur, cuius exemplum affert autor of the State Tracts being à farther collection of several choice treatises relating to the Government from the year 1660. to 1689. p. 489.

J. N. N. do Utterly testify and declare in my Conscience that the *Queens Highnes* is the only supream Gouernour of this Realm, and of all other her Highnes dominions and Countries as wel in all Spiritual or Ecclesiastical things and causes as temporal, and that no foreign Prince, Person, Prelate, State, or Potentate hath or ought to have any jurisdiction, power, superiority, prebeminence or aubority Ecclesiastical or Spiritual within this Realm. And therefore i do utterly renounce and forsake all foreign jurisdictions, powers, superiorities, and auborities, and do promise that from henceforth i shal bear faith and true allegiance to the *Queens Highnes*, her Heirs and lawful successors, and to my power shal assist and defend all jurisdictions, priuiledges, prebeminencies and auborities granted or belonging to the *Queens Highnes* her Heirs and Successors or united and annexed to the Imperial Crown of this Realm. So help me God and by the contents of this book.

Quod Latine ita redditur: Ego N. N. expresse significo & conscientiam meam testor, Suam Serenitatem Regialem unicum esse supremum huius Regni caput, ut & reliquorum Serenitatis sue dominiorum atque regionum, tam in causis spiritualibus ac ecclesiasticis quam profanis, nec ullum externum Principem, hominem, Praesulem, Statum, aut quacunque potestate

state pollentem habere aut debere habere aliquid jurisdictionis, potestatis, superioritatis, praeminentiae atque autoritatis ecclesiasticae sive spiritualis in hoc regno. Quapropter penitus renuncio & contradico omni jurisdictioni, potestati, superioritati atque autoritati exterae, & promitto, me ex hoc tempore in futurum fidem atque subjectionem Reginae, ejusque heredibus, & legitimis successoribus debiturum, & pro viribus meis tuiturum atque defensurum omnem jurisdictionem & autoritatem, omniaque privilegia & prerogativas Suae Serenitati Reginali, ejusque heredibus & successoribus concessas aut competentes aut Imperiali Anglorum diademati unitas & annexas. Ita me DEUS adjuvet, tenore ejus quem tango Libri. Deinde praeter ordinarium illud agnoscendae omnigenae subjectionis juramentum, speciali quisque jurejurando ad peculiare officii sui partes recte obeundas se adstringit, id quod nunc quoque in Georgium Daniae Principem competit, ex quo Supremi Angliae Admiralii, ut & quinque Regni Portuum Custodis officio à Coniuge praefectus fuit. Quantum ad summam rerum maritimarum curam attinet, verum est quidem, nonnisi nonum, adeoque ultimum inter Summos Regni Officiales locum, quicumque eadem fungitur, obtinere, sed potestate facile omnes, qui dignitate superiores sunt, vincit, unde raro nunc in alios quam Regii sanguinis Principes praefectura maris conferri solet, cui proxime ante Nostrum Jacobus focer, Dux adhuc Eboracensis praefuit, magnifico sane titulo superbus, quo se Angliae & Hyberniae ac Dominiorum & Insularum earundem, itemque villa Caesaria, & Marchiarum ejusdem, Normandia, Gasconia, & Aquitania Magnum Admiralium, Classisque & Marium dictorum regnorum Praefectum Generalem vocitabat. Quae omnia ex usitato regum Angliae titulo, quo se

Franciæ Reges appellant, facile intelliguntur. Officiū autem illius hæ sunt partes, ut quicquid ad classem instruendam, armandam, defendendā, & res marigerendas attinet, faciat Admiralius, & jurisdictionem simul in Nautas omnes, Classarios, & maritima munia gerentes, itemque de rebus civilibus pariter atque criminalibus, quæcunque in mari, aut in locis trans mare positis, in littore, portu, flumineque occurrunt, nomine Regio exerceat, id quod non solum fit tempore belli, sed & Idem pacis tempore ordinariæ Londini in causis maritimis ad præscriptum Legum Rhodiarum, atque Uliarensum (La Rolle d'Oleron) jus reddit. Fontem autem jurisdictionis omnis inter Anglos esse Regem, eumque summum totius Regni Justitiarium vocari quis ignorat? Quod porro ad custodiam quinque præcipuorum Regni portuum spectat, quo nomine nunc numero plures, videlicet Dubris (Dover) Sandovicum, Hyda, & Rumneja Cantii, Othona (Hastings) Ripa (Rye) Winchellsæja, Seafordiaque, Suffexie loca continentur, cum eadem sint velut totidem claves, & propugnacula regni, aut certe id olim fuerint, & nunc quoque è latere gallico Angliam infestantibus maximam faciendæ excursionis oportunitatem præstare possint, nemo utique præfecturam illorum locorum gerere, nisi ex fide solenniter data, & speciali pacto ad salutem rei publicæ adstricta potest. Qui itaque, ut in compendium dicta revocemus, Anglicani populi partem facit, qui eo nomine subjectionem Regiæ debet, qui nexu feudali ordinario eidem est obstrictus, qui sacramentum fidelitatis speciale præstat, qui delegatam ab ea belligerandi potestatem exercet, qui nomine ipsius jus dicit, & res regno

pro-

proprias custodit, is quin pro subdito Reginz habendus sit, nequaquam dubitamus. Qua de ipsam quoque dubitandi ansam adimit clausula clarigationi ex parte Anna Reginz nuper contra Galliam Hispaniamque edita subiecta, quam refert autor des nouvelles des Cours d'Europe Mois de Mars 1702. p. 589. *Ainsi nous enjoignons & reqverons notre grand Admiral d'Angleterre, notre General de nos Armées, tous nos Gouverneurs des provinces, Gouverneurs des forts & garnisons, & tous autres Officiers & soldats de leur Obeissance tant par mer que par terre, de faire & d'executer tous acts d'hostilité dans la poursuite de cette guerre, i. e. injungimus atque mandamus Magno Admiralio nostro, copiarum nostrarum Duci, omnibus provinciarum præsidibus Præfectis fortalitorum atque præsidiorum ceterisque omnibus præfectis atque militibus ipsorum imperio terra marique subditis, ut hostilita queque gerendo bello idonea parent atque exequantur.*

§. 17.

Dispicendum nunc fuerit de genio Rerumpubl. quarum conditio id fert, ut Reginarum Maritos habeant. Notum est vero ex ipsis doctrina politica rudimentis, quod aliud regnum sit electitium, aliud successivum, quod regni successio aut ex voluntate primi acquirentis jure hæreditario, aut ex voluntate & pro constitutione populi deferatur, quod hæc iterum aut solos admittat mares, aut ad fœminas quoque porrigatur. Electitium regnum id vocamus, ubi à libero populo, aut ab iis, in quos à libero populo idonea facultas collata fuit, electio fit unius hominis, qui summum ejus Reipubl. imperium administret, cujus desertione, abdicatione, exautoracione, aut denique morte jus illud

illud regni extingvatur, nec ad posteros ipsius transeat sed ad eos, qui eligendi facultatem habuerunt, revertatur, ut aut novam pro lubitu electionē facere, aut aliam Reipubl. formam introducere illi possint. Sive autem ad interregnum res semper redeat, sive vivo adhuc Rege futurus successor designetur, perinde est, nisi quod ad retinenda libera electionis jura tutius sit, interregni incommoda tolerare, quam ut vivo Rege de Successore constituatur. Id quod nostro seculo Poloni, qui fere soli regnum electitium adhuc habent, inter arcana retinendæ libertatis collocant. Aut porro libera est ejusmodi electio, aut per prævia pacta ad certam familiam restricta, ita tamen, ut circa singula illius familiæ membra sua eligentibus libertas constet, nec inter defuncti Principis Liberos alius, quam qui sit acceptissimus, aptissimusque visus, successor eidem designetur. Electioni opponitur successio, per quam jus regni semel partum aut in aliquem collatum in posteris illius continuatur. Qui belli jure regnum acquisivit, aut populum sibi suum fecit, aut alia quacunque ratione absolutum, nec ulla populi libertate temperatum imperium nactus est, in patrimonio suo regnum habet, ut de eodem pro lubitu post mortem etiam disponere non secus ac de aliis privatis bonis possit. Ubi autem à populi voluntate jus regni pendet, qui in constituendo imperio electionem non unius hominis, sed integræ familiæ fecit, à primo illo acquirente descendens, ut nimirum de patre in filium, de filio in nepotem, & sic porro haud interrupta generis serie regnum transeat, donec ipsa familia extingvatur, ibi casu illo existente ad eos, qui primævam electionē fecere, jus regni redit, ut de eodem prout

prout expedire visum fuerit constituere q̄veant. Prout itaq̄ve dicto casu favor eligentium laxior est aut restrictior, ita q̄voq̄ve successione jura aut ampliari solent, aut restringi. Aut enim solis maribus certo ordine semet excipientibus regnum decernitur, q̄vemadmodum in Gallia moris est, ut Legis Salicæ prætextu fœminæ à successione excludantur, aut ad mulieres etiam habendū regni jura porriguntur, addito tamen temperamento, ut maribus quidem ejusdem Lineæ omnibus etiam remotioribus postponantur, nec tamen q̄vo ad ex eadem supersites fœminæ sunt, ad aliam lineam transitus fiat, aut in novam familiam regnum conferatur: Q̄vod genus successione vulgo Castilianum vocant, à more in regno Castellæ usitato, cujus exempla in superioribus adduximus, vid. *Gror. de J. B. & P. Lib. II. Cap. VII. Pufendorf. de J. N. & G. Lib. VII. Cap. VII. aliq̄ve passim.*

§. 18.

In regno electio casus ille, ut Regina imperium habens maritum habeat non Regem, q̄va ratione possit contingere non apparet. Q̄vod si enim ab illo, q̄vod Veteres tantopere jactant, sive vero sive ficto Amazonum regno discedamus, nulla unquam, ut puto, Republ. nisi Virorum fuit, quibus nescio an temere in mentem venire potuerit, ut de constitutione civilis imperii laborantes, nulla necessitate exigente contempta sexus sui dignitate mulierem eligerent, quæ viris legem ferret, & pro colo sceptra tractaret. Ubi autem Regina non datur, ibi de Marito Reginz quæstio supervacanea est. Equidem exempla videntur in contrarium existare, quæ tamen accuratius inspecta

E
nostram

nostram potius sententiam firmabunt. Quod enim de Elisabetha Wenceslai IV. Bohemiae Regis filia asseritur, quae post mortem fratris Wenceslai V. in quo mascula Primislai stirps defecit, facta Procerum electione Bohemiae regnum nacta fuerit, non temere admitti potest. Si vel maxime enim concedamus, nullo successionis jure ad Elisabetham Bohemiae regnum pertinuisse, id quod tamen efficere conatur *Goldast. de Regno Bohem. L. VI. Cap. praesertim 5.* non tamen Bohemi electione sua eam Reginam fecere, sed ab Henrico VII. Imperatore impetrarunt, ut is regnum Bohemiae velut vacans Imperii feudum sibi vendicaret, eiusque Johannem filium praeficeret, is autem Elisabethae defuncti Regis filiae matrimonio jungeretur. Quo posito verum est utique designatione Bohemorum & collatione Imperatoris Johannem Bohemiae Regem, Elisabetham vero nil nisi conjugem Regiam fuisse. Vid. *Hagec. Chron. Bohem. p. 376.* Majorem speciem habet, quod de Hedvige, Ludovici Hungariae atque Poloniae Regis filia memoratur, quae a Polonis solenni ritu electa & inaugurata Maritum deinde acceperit Jagellonem Lithuanum. Sed speciosius illa quam verius dici nullo negotio ostendi potest. Non enim libera isthaec Polonorum electio erat, quamper pacta Casovienfia adimi sibi passi fuerant, uti auctor est *Cromerus de Reb. Polon. L. XIII. p. 224. cum duas, inquit, filias ex Elisabetha Stephani Bosnensium Reguli filiae susceptas, duos regna haberet Ludovicus, utriusque filiae vivens cupiebat prospicere, ita ut altera apud Hungaros regnaret, apud Polonos altera. Ac apud Hungaros quidem jam uni prospexisse videbatur. (Conjugio scilicet Mariae primogenitae cum Sigis mundo deinde Imperatore.) De altera autem sollicito fortuna sive Consilium*

filium talem occasionem obtulit. Poscebat is Polonos vectigal, quod Regium & poradline quasi rastrole dicitur, duodenos grossos latos, & singulos modios siliginis & avenae in Laneos, quemadmodum antiquitus pendere solitum erat. Negabant proceres sacri pariter & profani Ordinis, quod ab eo Poloniae immunem factam esse libertate Casimiri dicerent, cumque ille admonitus à nonnullis promissam modo, non etiam datam esse à Casimiro immunitatem illam argueret, solum enim esse id vectigal quoad vixerit Casimirus, tandem eo rem deduxit per Internuncios, ut si alterutram de filiabus suis regnare deinceps apud se Poloni iussuros se esse reciperent, binos tantum grossos quotannis deinceps in Laneos penderent, quibus Regem agnoscerent, ab reliquis pensionibus & oneribus, quae Regibus ac ducibus antiquitus debebantur, cuncta Nobilitas eique subiecti homines perpetuam vacationem & immunitatem haberent, praeterquam si Rex novam arceam conderet, aut veterem tempore belli reficeret, tum demum ut Nobilitatis subsidium cum Regis opus faceret. Accepere conditionem Poloni, atque inde in hodiernum usque tempus manet vectigal illud immunitatum Regi. Conf. omnino Prilufius in Legib. Statut. & Privileg. Regn. Polon. Lib. 1. Cap. 1. fol. 5. sqq. Cum itaque per ista pacta juramento firmata alterutri Ludovici filiae regnum Poloniae deberetur, altera earum Hungaris Regina data, reliquum nihil erat, quam ut simulata electione alteram sibi adscicerent Poloni, quo ipso tamen ne muliebri in viros imperium constituere viderentur, inter conditiones deferendi regni ad Hedvigem retulerant, ut de consensu, & sententia Reipubl. matrimonium iniret. Vid. *Id. lb. p. 237.* Nec de marito Hedvigi dando, sed de creando qui Hedvigi nuberet Rege Poloni consultabant, & amplificandi regni quam explendi amoris potiore curam habentes, primo quidem

Ziemovito Masoviorum Varsoviensium Duci regnum obtulerunt, mox lautioribus conditionibus propositis Jagelloni Lithuano idem tradiderunt, non solum non assentiente, sed repugnante etiam Hedvige, quæ cum ardentissimo Gvilielmi Austriaci amore capta, eidemque à teneris desponsata esset, à Polonia tamen proceribus consummatione matrimonii prohibita fuit. Vid. *Crom. L. c. p. 244.* Nuptiis autem Jagellonis cum Hedvige initis, cum id ageretur, ut si quæ aliq̄vō civitatum emergeret, & in communi Domino Magnus Ducatus Lithuaniae cum Regno Poloniae conjungeretur, commodius omnino erat, ut hæreditaria ditione electivum regnum cederet, atque adeo utriusque imperii administrationem susciperet Jagello, qui tantum abest, ut Reginae Maritus fuerit, ut ipse potius Rex Poloniae ubivis appelletur, nec alia quam conjugis Regiæ conditio Hedvigi tribuatur. Notanda sunt circa rem præsentem verba *Gaguini Rer. Polon. Tom. I. p. 103.* *Poloni, inquit, Ludovici Regis morte audit à consiliis clandestinum inierunt, ut Sigismundo relicto pro hærede regni Ludovici Regis filiam adserciperent, eamque in matrimonium tali Principi qui Rempubl. rectè gubernaret, ab hostibusque vindicaret, locarent, & paulo post p. 106. Jagellonem ait post factam cum Regno Poloniae Principatus Lithuanici conjunctionem in Regem Poloniae solemniter constitutum esse. Quo facto, nulla amplius in rebus publico nomine gestis mentio fit Reginae, cui nec inaugurationis facta jus Regni Polonici tribuit, cum & meræ conjugis Regiæ diademate cingantur, parumque ad rem faciat, utrum Regi nupta, an quæ Regio matrimonio destinata est, honore isto afficiatur. Sola enim diversa temporis ratio nullam juris diversitatem efficit,*
nec

nec scepra Hedvigi data erant, ut eadem teneret, sed ut traderet Marito, nec ut regnaret ipsa, sed ut conjugii regii commodis frueretur. Non alia ratione quam qua post mortem Sigismundi Hungariae Regis Hungari facta Alberti Austriaci electione conjugem ipsi Elisabetham Sigismundi filiam, aut deinde post eadem Ludovici II. electo Ferdinando I. postea Imperatori Annam Uladislai filiam in matrimonium collocarunt, aut antiquioribus seculis pleraque regna electitia ad eum modum collata deprehenduntur, ut simul eligentium libertati & saluti regni, & relictorum à Rege liberorum sustentationi consuleretur. Simili modo, quo moris alicubi est, ut cum collatione officii sacri matrimonia viduarum atq; pupillarum conjungantur, cujus consuetudinis non ea mens est, ut mulieri sacerdotium conferatur, sed ut quem electio ecclesiae tetigerit, ejus connubio muliercula sustentetur.

§. 19.

In regno successivo quod pleno proprietatis jure possidetur, & ut vulgo loquimur, in patrimonio Principis est, quemadmodum idem pro lubitu possidentis dum vivit, nullo habito sexus discrimine, inter plures liberos dividi, donari, & quocumque modo alienari potest, ita quoque constituendi post mortem successoris plenissima facultas auctori stirpis competere intelligitur. De quo si specialis ejusdem extet dispositio, non minor illi, quam testamento patrisfamilias reverentia debetur. Quod si autem peculiari modo de regno constitutum non sit, regulare est, ut ad modum privatae hereditatis idem deferatur, à qua cum foeminae non excludantur, nec adeo probabile sit primum regni

H3

acqui-

acquirentem deteriori conditione filias principes quam
privatae sortis virgines esse voluisse, aut saltem deside-
rante masculino genere jura potius familiae extinctae,
quam ad sequiorem sexum delata cupivisse, sequitur
omnino quod in regno ejusmodi patrimoniali Reginae
locus esse possit, uti olim in Aegypto rem habuisse
memorat *Lucanus* :

Nulla discrimine sexus

Reginam scit ferre Pharos.

Aut apud veteres Britannos *Tacitus*, quos sexum in impe-
riis discernere omnino negat, vid. *Bezman. ad Grot. O. L. II.*
C. VII. p. 568. nec forte in contrarium exemplum extat.
Regina itaque talis si nubat, retinere sibi si velit regnum, &
sine participatione imperii marito jungi potest, confer.
Grot. de Jur. Bell. & Pac. L. I. C. III. §. 11. 12. L. I. C. VII. §. 12. seqq.
§. 20.

A sit in regno quod patrimoniali *Grotius* opponit, &
Usufructuarium appellat *Lib. I. Cap. III. §. 11. Lib. I. Cap. IV.*
§. 10. Lib. III. Cap. XX. §. 5. ubi successio ad solos mares
diserta populi regnum constituentis voluntate restricta
cernitur, casus nullus contingere potest, ut aut Regina
imperet, aut Reginae Maritus adsit, cum meri ibidem
Reges, merae conjuges regiae deprehendantur. Sed
ubi à successione regni foeminae per legem publicam
non excluduntur, posito Reginae imperio facile con-
tingit, ut ea qualem diximus maritum, thori non regni
socium, sortiatur.

§. 20.

His ita suppositis si ad potissima quae nunc sunt
Europae regna respiciamus ubinam Reginarum Mariti
quaerendi aut expectandi sint facile apparebit. Ger-
maniae

maniam nostram Poloniaeque Regnum eos non fert, nec infesta foemineo juri Gallia admittit. In reliquis omnibus aut sunt iidem, aut fuerunt, aut esse possunt. De Hispania, Anglia, Scotiaque idem probatum dedimus in superioribus. In Lusitania cum Rex modernus non alio quam ab Abavia derivato jure regnum possideat, dubium non est quin capaces imperii foeminae, ut & incundi post regnum acceptum conjugii reputentur. In Sveciae Regno tempore Christinae Reginae parum aberat, quin casus, qui nobis ob oculos est, contigisset, cum diu nihil aliud optaret quam rereque Carolus Gustavus Palatinus, quam ut matrimonii honore Regina ipsum dignaretur, cujus quidem obtinendi spem haud exiguam nactus erat, sed quam deinde major connubii legibus Regina animus amantissime fecellit, ut pro simulacro aut consortio regni regnum ipsum tribueret cognato. Danis parimodo, cum imperaret Margaretha, exemplum illud poterat offendi, nisi ab iterando matrimonio Regina abhorrens, & adoptione sibi successorem constituere quam procreare maluisset. De Bohemia, Hungaria, Neapolitico regno & ejusdem generis aliis quid sit sentiendum facile nisi fallimur ex dictis judicari & ex praesenti illorum statu colligi potest.

§. 22.

Non sufficit vero quid & ubi Reginae maritus sit dixisse, nisi in causas simul facti, quo a persona Regis conditio maritalis secernitur, inquiretur. Atque illa causa in regno mere hereditario atque patrimoniali a sola imperantis foeminae conditione atque voluntate sunt arcessenda. Aut enim regnum jam habet, quae de marito cogitat Regina, aut post matrimonium inprivato

vato vitæ genere contractum imperio potitur. Priori casu cum datum paucis simis sit ut perpetuam castitatē servent, nec aut salva Christianæ Religionis sanctimonia, morumque honestate, aut fastigii Regii existimatione, nec denique sine damno & periculo Reipubl. fieri possit, ut furtivis atq; nefariis amoribus Princeps foemina naturam expleat, & sine successoris fiducia Rempubl. administret: sed & ex adverso cum insociabile omne sit imperium, tantisq; illecebris mortalium animis abblandiatur, ut quicumq; dulcedinem ejus experti semel sunt, jacturam illius facere haud sustineant, sed potius quicquid eidem servando atq; firmando conducere visum fuerit, enixe & cum cura facitent, hinc matrimonii talis à Principe foemina quaerenda conditio est, quæ civili imperio nequaquam obstat, sed quæ amori pariter, & imperandi cupidini ex æquo satisfaciat. Cujus obtinendæ non alia est ratio, quam ut inito inter Principes utrinq; summo imperio instructos conjugio, sui cuiq; imperii administratio illibata servetur, nec ad vicinæ Reipubl. consilia, negotiaque noscenda admittatur, qui imperare suis didicit, metumque adeo præbet, ne amplificare a viti regni fines, aut duplo idem majus efficere in animum inducat. Quo ipso in tuto simul regni successio locatur, certis pactorum matrimonialium legibus definienda. Si autem privatae sortis hominem Reginae amor tangat, utile non minus fuerit cavere, ne aut extraneus invidiam indigenarum incurrat, aut si civis sit, ut æqualium emulationes & iniqua suspectaque suorum studia non provocentur, id quod evitari vix unquam tuto potest, si cum affectu regio potestas quoq; regia jungatur, nec sine immi-
nutione

nuncione intelligi divisa potestas potest. Unde rectissime sibi regnoq; suo consulit Regina, si non Regem, sed aut Regio sanguine prognatum, aut Regio certe animo præditum Regiisq; virtutibus instructum maritum sibi eligat, nec tamen propterea Regem faciat. Posteriori casu per leges regularis connubii fieri non potest, ut quem Princeps fœmina cum privatæ conditionis ipsa esset, maritum habuit mutatâ conditione habere dedignetur, nec enim accessio dignitatis, quæ stante matrimonio alterutri conjugum fit, id operatur, ut promiscuam alteri dignationem detrahat, aut quicquid inde enascitur disparitatis in contemptum illius vertat, id quod præterea ab amoris genio & conjugali præsertim affectu vehementer abhorret. Erat quidem in potestate ejus, quæ regnum ambitiose expectabat, ne privatæ conditionis homini jungeretur, sed postquam juncta fuit, sola regni possessio pro causa idonea solvendi matrimonii allegari nequit. Id quod multo magis obtinet, si quæ remotioris à successione gradus erat præter spem omnem & opinionem præcipitata fatorum serie regnum nanciscatur, ubi superbum omnino insolensq; fuerit, vitæ illam conditionem, à qua recens sis, continuo averfari, nec amare eum velle, qui ab aliis non metuatur. Ridiculum quoque est existimare, quod in excrecendo amore conjugali Civilis imperii ratio habeatur, aut pro actu publico maritalis conjunctio sit, & proles suscipi nisi à patre patriæ non possit. Quemadmodum itaque à marito divertere ob partam recens dignitatem Princeps fœmina non potest, ita maritus, ut acquisitum à conjugate imperium secum dividatur, aut communicetur, postulare

lare nequit, cujus etiam sine imperio haud poenitenda conditio est, velut qui omnibus fere commodis fastigii Regii sine regni onere fruatur: Non multum saepe interest, utrum quis imperet, an verò gratia polleat penes imperantem, nec facile ferendum id stuporem in viro argueret, si in ipso minor, quam quae in mulierum ingenio extat, usurpandi per blanditias imperii solertia inesse deprehendatur.

§. 23.

Sed in successivo regno à constitutione populi pendente graves utiq; rationes prohibent ne, qui maritus Reginae est, Rex simul appelletur. Aut enim ultima est gentis suae foemina illa Princeps, de cujus connubio quaeritur, aut praeter eam alii eodem genere oriundi extant, qui post ipsam habendi regni jure polleant. Prius si sit, si, qui pro ratione muliebris affectus in matrimonium à Regina assumitur, jura simul uxorii regni nanciscatur, alterutrum fieri necesse est, ut aut citra prolem relictam conjuge demortua Regius ipsi titulus abrogetur, aut ut regnum retineat. Atqui illud decore fieri non potest, ut privatae hominum conditioni solenniter exemptus, a dempto regni titulo in privatorum iterum ordinem detrudatur, nec a quo forte animo is idem feret, sed cum periculo recipi. partam semel dignitatem conabitur tueri. Unde satius fuerit, statum illum non mutare, qui certo eveniente casu iterum est subeundus, & est honoris illius miserissima conditio, qui ab incerta alterius vita pendeat. Si autem defuncta Regina, regnum marito esset relinquendum, haberet utique populus Regem nullo suo consensu factum, usurparet Regina jus constituendi populo

populo successoris, periret populo facultas extinctâ stirpe regnatricæ novam certâq; familiæ electionem faciendi, aut si visum ita fuerit, diversam à regno Reipubl. formam introducendi, regnumq; vadeo iteratis connubii votis ad aliam semper atq; aliam familiam pertransiret. Quæ omnia sunt contra hypothecin, & sine mutatione status publici fieri non possunt, cum hoc modo usufructuarium regnum hæreditarium atq; patrimoniale & nulla amplius conditione temperatum redderetur. Quia ratione enim Legibus regni fundamentalibus in usum prioris familiæ à populo constitutis obligetur, non apparet, qui populo invitò connubii jure regnum adeptus securus idem possidebit, & ad posteros idem alienæ conditionis immemores transmittet. Quod ipsum ne fiat mature populus cavere didicit, dum fœminæ Principi regnum quale diximus habenti facultatem ademit pro lubitu suo haud requisitis Ordinum consiliis atq; sententiis matrimonium inçundi, ne scilicet, si cum alienæ Reipubl. paulo remotioris capite Domina jungatur, aut sua è regno absentia, aut hospitii Maritalis molestia regnum oneret, & periculo exponat; aut si vicina Reipubl. Principem Maritum fortiatur, saltem in communibus liberis Civitatum, quæ, ut fieri solet, mutuis odiis, diversis moribus institutisq; & separatæ utilitatis rationibus disjunguntur, parum apta fiat conjunctio, gravissimo utraq; Rempubl. bello collisura, aut involutura damno; aut si subditum Regina amplectatur, ne amore illius male temperato turbis serendis ansa præbeatur, periculo non Mariti solum, sed & Reginae & forte totius populi cessuris.

F 2

gravis.

gravissima quoque agnatis cognatisque injuria inferretur, si neglectis iis, qui à Regina demortua proximum regni jus habebant, in alium idem conferatur, qui ex iterato matrimonio susceptæ proli illud aut relinquet, aut relinquere studebit, & quicquid regno suæ familiæ servando, quicquid excludendis regni hæredibus faciat, prout ingenium mortalium est, facere non intermitteret. Quod ipsum si concoquere illi, quævis injuria sit, non possint, præsentissimum inde civilis belli periculum exurgit, quod in casum rempubl. dat, similisque furori eorum exemplum præbet, qui de gubernatione navis cum periculo ejusdem certant, aut de tutela litigant sumptibus pupilli.

§. 24.

Supereff, ut quod fieri diximus, rectè fieri, nec ullis divinis humanisque Legibus contrariari ostendamus. At qui de humanis Legibus res est expedita, quod iisdem Principes Summo imperio fruente nequaquam subsint. Cum enim ipsa summi imperii possessio æquales eos efficiat, nemo utique est eorum, qui aut superiorem inter homines habeat, aut legislatorem agnoscat, qui vero Leges subditis fert, seipsum obligatione earum haud comprehendit, cum sibi ipsi quis imperare atque parere, aut semet ipso superior simul inferiorque dici nequeat. Quod enim privata Principum actiones, quæ ad subditos respectum habent, è Legum civilium formula nonnunquam dijudicentur, non inde est, quod in ipsa civili Lege stringens Principem obligatio insit, sed quod aut eadem ipsissima naturæ Legem contineat, aut ad præscriptum illius servandum speciali velut pacto princeps obligetur, cum nisi alterutra conditione

ditione supposita nemo Civium cum Principe contra-
 here sustineret. Opus quoque non est, ut præcipua
 hic autoritatis quicquam Romanis Legibus tribua-
 mus, ad quarum præscripta audacissimè quondam atque
 ineptissimè Regum Principumve facta exigebantur.
 Nam non aliis ille nisi Civibus subditisque Romanis
 scriptæ sunt, nec Romanorum imperio everso alios
 hodie obligant, quam qui in locum eorum liberrima
 recipientium voluntate successerunt. Dum autem eas
 receperunt Principes, non pro se idem, sed pro subditis
 censentur fecisse, unde fit, ut quicquid olim pro Legge
 Civili Romanorum valuit, nunc ab Hispanis, Germa-
 nis &c. receptum, si non originis, sed obligationis
 rationem habeas, proprio nomine Lex Hispanorum,
 Germanorumque Civilis appellari mereatur. Sive
 enim à se suisque inventas sive aliunde acceptas Leges
 Princeps proponat, perinde est, cum utrobique facul-
 tate Legislatoria in subditos ipsi competente utatur.
 Quod si vero Legibus Romanis pars aliqua juris natu-
 ralis expressa deprehendatur, illa quidem quæ in Princi-
 pes quoque obligentur dubium non est, non autoritate
 Legis quæ sequitur naturam, sed obsequio naturæ,
 quam Lex exprimit. Id quod nec proprium Romanis
 Legibus est, sed eadem ratione ad alia aliorum statuta
 applicari potest. At si de divina Legge aliter est existi-
 mandum, ad quam communis hominum omnium obli-
 gatio est. Est vero illa aut naturalis aut positiva.

§. 25.

Quantum ad Legem naturæ attinet, ostendendum
 dubitantibus est, nec imperii civilis naturam id ferre
 ut mulieri idem tribuatur, nec salva natura societatis

F 3

conju-

conjugalís posse fieri, ut marítus in potestate conju-
 gem, & res uxórias non habeat. Aut saltem civilis
 imperii jura simplici connubiorum juri derogare nihil
 posse: Quid itaq; causæ sit, quare Summum imperium
 fœmina habere & vero sensu Regina appellari non
 possit, nobis quidem non apparet. Supponimus
 autem, vocabulo summi imperii nil aliud, quam emi-
 nentissimam regendæ Reip. facultatem denotari.
 Supponimus porro, à collatione potestatis illius, quæ
 in Civitate obtinet, abesse non posse pactum, sed omne
 legitimum imperium consensu subditorum niti. Quæ si
 vera sunt, sequitur, quod quicumq; naturaliter aptus ge-
 rendæ Reipubl. est, in eum accedente populi consensu
 facultas imperii in Reipubl. administrandi conferri pos-
 sit. Aptus autem is est, quicumq; idoneis à natura viribus
 animi atq; corporis est instructus ut finem civitati pro-
 positum, salutem atq; securitatem singulorum, congruis
 consiliis mediisque adhibitis obtinere, servare, atq; tueri
 possit. Quæ dotes quod solis viris propriæ sint, nec ad
 fœminas ullo modo spectent, id vero est demonstran-
 dum, sive id potius est, quod demonstrari nequit. Si
 quis non omnino ineptas gerendo imperio fœminas
 esse fateatur, sed mares tamen aptiores putet, ei re-
 spondemus: In diversis aptitudinis gradibus æstimandis
 subsisti circa eum posse, qui expediendo negotio
 sufficiat. Continua enim eorum comparatio vix
 unquam finem sortiretur, nec ea quidem sufficeret,
 sed nitendum ad summa foret, ut non qui aptior, sed
 qui aptissimus est, imperio præficiatur de quo cum
 nisi aptissimus judicare possit, admissa semel ingenio-
 rum contentione omnis facile ratio aut faciendæ ele-
 ctionis,

tionis, aut certe successio-
 nis constituenda turbare-
 tur. Quod si itaque libero populo eandem successio-
 nem constituenti id expedire visum fuerit, ut fœmina-
 rum quoque ratio habeatur, factum certe ipsorum utili-
 tatis majoris oppositu irritum reddi nequit. Ad mini-
 mum nihil obstat, quo minus quicquid per se fœmina
 efficere non potest, maribus committat, quorum ope
 atque ministerio eadem ratione res expediri possunt, qua
 plerique Principes viri nomen imperii habere, vim autem
 ipsam per alios exserere didicerunt, vid. circa rem præ-
 sentem *Tiraquel. Leg. Connubial. XI Gl. I. Part. II. Cas. Spbar.*
Civit. C. III. qv. 4 Tholosan. de Republi. L. VII. C. II. Piccolomin.
Philos. Moral. Grad. 6. c. 10. & quos præterea longa serie
citat Goddesh. de Regn. Bohem. Lib. VI. C. V.

§. 26.

De maritali imperio probandum est, quod idem ad
 naturam matrimonii naturaliter spectati, si tantisper
 ab omni peculiari divina humanae constitutione men-
 tem abducamus, pertineat. Quod quidem fieri diffi-
 culter potest. Est enim matrimonium merito jure natu-
 rali nil aliud quam consociatio maris atque fœminæ, pro-
 creandæ sobolis causa instituta. At qui consociatio illa
 sine plenissimo partium consensu intelligi non potest,
 consensus autem non est infantum, puerorum, amen-
 tium, errantium, & quicumque præterea rationis usu
 non pollent, aut non sunt iudicio satis confirmato. De-
 inde cum præter animorum consensionem corporum
 quoque conjunctio requiratur, ubi sive vitio naturæ,
 sive facto humano, aut alio quocumque casu impediente
 ea corporis dispositio utrinque aut alterutra ex parte
 non adest, ut quis pro viro fœminaque gerere se possit,
 facul-

facultas matrimonii legitime contrahendi non adest. Positæ autem consentiendi facultati & ad generandum aptitudini ipso opere consensus solenni pacto declaratus de corpore invicem præbendo succedit. Quo perfecto matrimonium naturali Lege justum constituitur. At ex simplici isto pacto jungendi corporis imperium non resultat, tantum quæ abest, ut consociatio quam diximus, subjectionis aliquid involvat, ut eidem potius contrarietur. Vid. *Grot. de J. B. & P. Lib. II. Cap. V. §. 8.* Quod enim *Becmann. Consp. Doctrin. Polit. pag. 41. & Meditat. Politic. pag. 493.* negat, societatem ullam sine imperio esse posse, id nusquam probat, nec ratio reddi potest, quare amicitiam affectuque & solâ pacti religione initâ inter duos societas contineri, nequeat, & male omnino amorem æstimare didicit, qui pro imperio eundem exerceri & coacte fieri aut posse, aut debere opinatur. Fatemur tamen occasionem qualiscunque imperii è statu matrimonii inito facile enasci posse. Cum enim factæ corporum conjunctioni non statim ad propositum natura respondeat, aut saltem tractu aliquo temporis opus sit ad partum in lucem proferendum, qui à nativitate tolli, & ad maturam usque ætatem sollicitè ali atque educari debet, crescente semper cum prole parentibus in eam indito affectu & ad ulteriores generis propagationem natura stimulante, commodius quidem hæc omnia quam domestica conjugum cobabitatione instituta, quæ peculiarem familiam efficiat, fieri non possunt, in cujus procuratione cum, ut ingenium mortalium est, facile inter partes dissensio oriri possit, ad expedienda negotia conducit, ut alterutri parti qualiscunque necessitas impo-

imponatur, voluptati alterius obtemperandi. Atque
 ea causa est, quare ad primum illud pactum procrea-
 tionem proles respiciens, nova de perpetua cohabita-
 tione domestica conventio accedat, in qua simul de
 familiari imperio solet constitui. Ut autem semper id
 fiat, & ut imperium illud continuo marito deferatur,
 necesse naturaliter non est. Equidem in statu civili
 regulariter illud obtinet, ut ad cohabitationem con-
 iugiam qui justum matrimonium incunt obligentur,
 cujus rei ratio ab ipsa indole civitatum pendet, cui vita
 vaga atque desultoria repugnat, & velut pro ordinaria
 basi familiarum conjunctio substernitur. Nec tamen
 absolute necessarium id esse exempla probant conju-
 gum, quibus quando immobilia bona diversis Rei-
 publ. locis possident, aut quando utile est diversa-
 rum civitatum jure frui, aut existente exilii & diutur-
 nioris absentiae casu separatim habitare & suas sibi res
 peculiares habere salvo matrimonii statu permittitur.
 Notum de Amazonibus est, quod inito cum vicinis
 maribus conjugio separatam ab illis civitatem omnino
 muliebrem, & nullo virorum consortio temperatam in-
 stituerint, qua de re notanda cumprimis sunt verba
*Jornandis Rer. Geticar. C. 8. Veritatem (Amazones) ne earum
 proles rareficeret, a vicinis gentibus concubitum petierunt, facta
 nundina semel in anno, ita ut futuris temporibus eis deinde rever-
 tentibus in id ipsum, quicquid partus masculini edidissent, patri
 redderetur, quicquid vero feminei sexus nasceretur, mater ad
 arma bellica erudiret. Adde quae de conjugii Amazo-
 nicis tradit Pufendorf. de J. N. & G. Lib. VI. Cap. I. §. 9.*
 Quamquam porro in statu civili ordinarie cum pacto
 cohabitationis domesticae imperium maritale conjun-
 ctum

Etiam sit, quod mirum non est viros plerarumque omnium
 Rerumpl. Conditores sibi tribuisse, tamen neque illud
 perpetui juris esse Romanorum exemplo patet, qui
 in potestate non mariti, sed patris uxorem esse volue-
 runt, vid. *Tiraquel. de Legib. Connub. circ. init.* & multo
 adhuc clarius Ægyptiorum, apud quos receptum usu
 fuit notante Diodoro Siculo *Lib. I. Cap. XXXII. ut plus pote-*
statis atque honoris sit penes Reginam quam Regem, & ut in Tabu-
lis dotalitatis inter privatos Imperium femina in virum assigne-
tur, ubi uxoribus per omnia se obtemperaturos Mariti profiten-
tur. Quæ consuetudo quancquam probanda non sit,
 id tamen efficit, ne miremur, si quod sapientissimi
 quondam mortalium cernere non potuerunt, nobis
 quoque solam rationem consulentibus cernere non
 datur, & ut credamus, quod inter Ægyptios sine
 maritorum imperio stare potuit conjugium, id & alibi
 mero jure naturali nixum posse subsistere. Id quod
 in statu naturali tanto minus dubii videtur habere.
 Quid enim quæso obstat, quo minus separatim habi-
 tantes conjuges aut in loco tertio convenire, aut
 in uno hospitii jure uti possint. Quod vero Grotius ad
 essentiam matrimonii requirit, ut sub oculis & custo-
 dia mariti uxor degat, de *J. B. & P. Lib. II. Cap. V. §. 7. n. 2.*
 id ad obtinendum conjugii finem minime necessum,
 circa fornicinas honesti amantes supervacuum, aut circa
 impudicas omnino inutile est. Quod enim Argus cen-
 tum oculis efficere non potuit, id uno vel altero alii
 non efficient, & quam suus pudor non custodit, eam
 nulla satis arcta custodia unquam continebit, nisi forte
 ea Grotii mens sit, ut in vinculis atque compedibus
 uxores asservandas putet. Deinde toto tempore
 gesta-

gestationis atque partus presentia viri, si intra limites à natura præfinitos subsistatur, non est opus, liberiq; porro nutricibus alendi & præceptoribus formandi tradi, aut alterutri conjugum universa infantis educandi cura committi potest, quemadmodum ubi diversam circa sacra opinionem conjuges fovent, pro ratione pacti initi educatio liberorum patri matrive soli in statu quoq; civili permitti solet.

§. 27.

Ponamus vero in gratiam dissentientium, non posse esse matrimonium sine domestica conjugum cohabitatione, cohabitationem illam non posse imperio carere, nec imperium illud naturaliter competere nisi Viro, nondum tamen inde quod in controversia est conficeretur. Isthæc enim omnia non nisi in mera societate conjugali haberent locum, nequaquam autem inde sequeretur, accedente ad statum matrimonialem societate civili potiora non esse hujus quam illius jura, quemadmodum non sequitur, quoniam naturaliter i. e. in sola societate paterna spectatus pater liberis suis superior est, ideo improbe Fabii Maximi filium Consullem fecisse, quod patrem sibi obvium assurgere atque e quo descendere jusisset. Vid. *Valer. Max. L. II. C. II. §. 4.* Cum enim imperium civile summum ideo vocetur, quod superius in his terris non agnoscat, & quod reliqua omnia minoris imperii genera, quæ in societate matrimoniali, paterna atque herili sunt, complectatur, fieri non potest, quin posita illa imperiorum subordinatione majus derogat minori, inferiori summum: ita quidem, ut quicquid in statu civili de conjugate Maritus, de filio pater, de servo herus statuerit, id in con-

Gz

trarium

trarium tendente ejus, qui summum civitatis imperium habet, voluntate effectum careat, quoniam majorem obedientiam maritus pater atque herus Principi quam uxor filius atque servus patri familias debent. Quomodo itaque potestas maritalis, patria, & herilis cum Summo civitatis Imperio in uno eodemque homine pulcherrime conjunguntur, ita imperantium commutatione facta potestas minor quæ in viro residet, majori quæ est in uxore cedit, penitusque ab eadem absumitur & exterminatur. Id quod ita effert *Becmann. Conf. Polit. pag. 42. Maritale imperium ab imperio publico absorberi lumenque minus à majore regi, quod æquidem cum veritate magis, quam cum Cl. V. hypothese consentit.* Si enim productio omnis vitæ socialis, & consequens conjugii imperium est, quod in superioribus affirmaverat, utique explicatione indiget, quomodo à societate matrimoniali productio vitæ socialis abesse, quomodo ab antecedente suo necessarium consequens separari possit. Accedit, quod quilibet in gratiam alterius cedere jure suo, si velit, possit. Unde si vel maxime jus illud imperii, quod societatem conjugalem regit, ad virum pertineret, in potestate tamen illius foret remittere de eodem, & speciali pacto inito, idem abdicare, quemadmodum, qui à natura libertatem accepit, renunciare eidem, & alterius arbitrio se suasque actiones permittere jure potest. Putat eundem *Chusfaneus Catal. Glor. Mund. P. 1. Conf. 73.* quod reverentia ab uxore marito debita remitti nullo modo possit, sed cum præter autoritatem G. Benedicti in sua repet. Cap. Raynut. in ver. duas hab. filias num. 234. de testa rationis nihil asserto addat, & cum reverentia obie-

obsequium confundat, nescio an magnopere de confutanda illius sententia sit allaborandum. Vid. potius quæ in simili casu differit *Pufend. de. J. N. & G. L. VI. C. II. §. 10. & Thomas Jurisur. Div. L. III. C. II. §. 231. seqq.* Excipimus tamen à nostra opinione casum, quo forte remissionem illam juris specialis in contrarium extans Lex divina impediatur, quæ an circa rem præsentem detur proximum nunc est, ut dispiciamus.

§. 28.

Quid ergo dicemus de jure divino positivo, cui si mariti Reginae conditio repugnat, nihil omnino superius adductis actum fuit. Quæ admodum enim lex divina positiva & recentior & specialior est naturali lege, ita quicquid Libertatis naturali jure hominibus indulgetur, per positivam divinam legem varie restringi, limitari aut penitus etiam tolli potest, majorque hujus quam illius ratio est habenda. Quicumque ergo circa rem præsentem per legem divinam positivam concessionem naturalis juris derogatum dicunt, ab illis postulamus, ut locum nobis Scripturæ sacræ ostendant, quo disertis verbis aut per pronam consequentiam derivato sensu idem fiat. Et primo quidem demonstrandum est, quod capax fœmina non sit obtinendi imperii civilis, cui cum in statu integritatis locus non fuerit, neque viro neque fœminæ id potuit adscribi. Sed post lapsum constitutis civitatibus nulla adipiscendi civilis imperii occasio mulieribus cernitur defuisse, cum matri non minus quam patri in liberos, nec magis hero quam heræ in servos imperium expressis Scripturæ verbis aut exemplis manifestis vindicetur. Quod ipsum qui habet, quare nec civile imperium habere, nec qui fami-

liæ imperat, familiis quoque præesse possit nulla ratio
 apparet. Et si parentum vocabulo, ut præcipit Theo-
 logia, omne genus imperantium designatur, quævis ex
 mandato divino præstandum obsequium sit, idem
 etiam jus ad fœminas pertinere est censendum, ut quæ
 parentum nomine continentur. In ipsa Theocrazia
 Judaica locum fœminæ fuisse, & communi cum Judi-
 cibus jure Deborah imperiũ obtinuisse constat, *e Jud. IV.*
 ubi notari meretur, quantum è verbis textus colligere
 licet, imperante Debora maritum ejus Lapidothum in
 vivis fuisse, nec tamen de imperio conjugis, cujus ca-
 potis copiam Baraco fecit, participasse, cujus rei appro-
 bationem afluat divinus & concessa singularis ad ver-
 sus Cananos victoria declarat. Quod deinde in regno
 Judaico nulla legitima fœminarum successio constituta
 fuit, non magis est argumento eandem DEO displicere,
 quam quod à Gallis hodiernum eadem rejiciatur. Nec
 aliam ab causam Athalia *2. Reg. XI.* imperio divinis
 auspiciis dejecta fuit, quam quod divinitus constituta
 Davidicæ stirpis jura nefarie violans, contra dictas
 Regni Leges imperium in vasisset. Quod *Es. III. 11.*
 male agi cum populo dicitur, cui pueri fœminæ ve impe-
 rantium est exaudiendum. Nec idem muliebri impe-
 rium in exteris DEUS damnavit, dum & Regina Sabæ
 pro vera atque legitima imperante agnoscitur, *1. Reg. X.*
Matth. XI. 42. & Candaces Æthiopiæ Reginae honorifica,
Act. VIII. 27. mentio fit. Quod quidam arguantur ex
1. Cor. XIV. quemadmodum tacere mulier in Ecclesia
 jubeatur, turpeque pronuncietur, si in conventu Viro-
 rum eadem verba faciat, ita indecorum non minus esse,
 si impe-

si imperare illa, perque rostra & castra volare aggrediatur, id nulla certa comparationis ratione nititur, cum ab Ecclesia ad forum atque civitatem, ab expressa prohibitione ad conjecturam interdicti male inferatur.

§. 29.

Videamus porro an eadem positiva Lege divina cohabitatio conjugum domestica exigatur, ut ex ipsa familia constitutione Mariti velut capitis in conjugem velut membrum familia imperium consequatur? Videtur equidem tale quid innuere Adamus *Gen. II. 24.* sed quod pro Lege accipi non potest, nec nisi naturale conjunctionis illius desiderium ex arctissima cognatione resultans ostendit. Cum deinde post lapsum terrarum orbis commode abs hominibus nisi per familias segrèges passim institutas coli atque habitari non posset, dubium non est, quin ad finem istum obtinendum medio quam maxime idoneo DEUS homines uti voluerit, cujus propterea sempiternam atque omnimodam necessitatem esse, repleto nunc incolis terrarum orbe nemo dicet, hactenus quidem, ut nullo existente casu, nullam majori exigente causam contrarium fieri unquam possit. In Abrahamo patre fidelium nullibi reprehenditur, quod Hagarum uxorem omnino legitimam, uti videre est *Gen. XIV. 3.* & apud *Selaen. de J. N. & G. juxta disciplin. Hebr. Lib. V. C. VII.* ad evitandas cum Sara rixas e conubio dimiserit, & seorsim habitare, filium Ismaëlis curam unice habere passus fuerit, *Gen. XXI. 21.* Latam legem Mosaica cum promiscua fere repudiorum licentia cum ipsa connubialis vinculi solutione conjuncta populo Judaico indulgeretur, existimari facile potest, genus illud, si ita appellari potest, divortii, quod salvo
matri.

matrimonii jure atque statu concipitur, inter res quam maxime licitas positum fuisse. A qua licentia ab invicem divertendi conjugibus usurpata, ut sensim omnia creverunt, repudiorum deinde temeritas videtur fluxisse. Istam vero consuetudinem Judæorum gentes aliæ magno numero secutæ, quemadmodum iisdem in ædibus secubare, ita in eadem urbe aut regione seorsim habitare conjugibus permiserunt, id quod in statu Polygamico necessitatis aliquam habebat rationem, quoties majorem mulierum numerum modicæ ædes non admittebant, aut inter rixosas garrulasque servandæ concordiæ id expedire videbatur. Unde & in Republ. quæ Polygamiam & propullulantem ex ea repudiorum licentiam non tolerat, facultas illa seorsim habitandi promiscue non conceditur, velut quæ primum frigus Conjugali amori asserre, & pro infimo repudiū gradu valere solet. Verba autem Servatoris nostri, quæ recepto divortiorum usu Christianis interdicunt, de isto quem tangimus casu non videntur intelligenda cum *Marc. X. 10. 11.* vitium adulterii in eo ponatur, ut facta conjugum separatione matrimonii quoque vinculum solvatur, quo integro concludivimus, salva matrimonii Christiani religionis separatim Conjuges habitare posse, si certa illud innoxie utilitatis causa fuerit, aut civilis necessitas imperarit. Sublata autem cohabitationis domesticæ necessitate, nulla inde imperii Maritalis fundatio arcesse potest.

§. 30.

An deniq; dicendum est directe, in Conjugem imperium divina Lege positiva marito fuisse attributum? Plerosque ea de re dubitare non sinit locus *Gen. III. 16.*
de cujus

de cuius tamen sensu interpretes ambigunt. Quidam inde concludunt, si in pœnam lapsus præstanda Marito subjectio Evæ fuerit injuncta, ante lapsum eandem à potestate mariti liberam fuisse, quo tempore tamen matrimonii status obtinebat. Atq; inde seqvi putant, naturæ conjugii divinitus instituti æqualitatem illam conjugum non repugnare, ad quam potius constituendam congruum creationis modum Deus adhibuerit, qui non servitio, sed consortio Viri eandem destinasse, nec de calcaneo ipsam sed de latere legatur produxisse, ipso quoq; Adamo æquisimam juris omnis communionem humanissimis verbis agnoscente: nec in status primævi descriptione ulla maritalis imperii vestigia exstare, cujus violationem si impingere uxori in primi criminis imputatione Adamus potuisset, quo animo tunc fuerit, idem certe intermissurum non fuisse. Atq; illa opinio ipsi Luthero arrisit, uti patet ex Comment. ad Gen. III. ubi ait: *at si Evæ in veritate stetit, non solum non subjecta imperio viri esset, sed ipsa quoq; sociæ gubernationis fuisset, quæ nunc sola masculorum est.* Quo ipso quanquam id quod de natura conjugii supra diximus, egregie confirmetur, id tamen non conficitur, ut post lapsum divinam nullam constitutionem primævi statui contrariam exstare reputemus. Alii, qui de sola renitentia atq; aver- satione imperii maritalis, quæ nunc non sine insigni molestia in corrupto mulierum ingenio insit, accipi- enda verba docent, supponunt id quod superiores negant, in statu scilicet integritatis marito in uxorem imperium competisse, quod quidem si de proprie dicto imperio sermo sit, dubio non vacat. Cum enim illud diffensionem animorum, repugnantiam, pervi-
 H cacia

ciam, & alia multa imbecillitatis humanæ genera sup-
 ponat, quomodo in beatissimam illam primævæ vitæ
 conditionem hæc omnia cadant, non apparet. Ast cum
 imperio proprie dicto qualiscunqve ordinis ratio, &
 forte blanda communium negotiorum cura non est
 confundenda, id quod Beermann. *Parall. Polit. Cap. VII.*
f. 8. cum aliis multis facit. Quicquid sit, in eo omnes
 consentiunt, quod subjectio illa, quam fœmina nunc
 Viro præstat, à conceptu pœnæ divinitus immixtæ
 non possit separari, unde vulgo concluditur, reveren-
 tiâ imperii divini pœnam illam constituentis ad ean-
 dem patenter & sine reluctancia sustinendam muli-
 eres obligari, quæ nobis non ita prona atqve firma
 consequentia videtur. Antequam enim eandem ad-
 mittamus, probandum in genere est, ad sustinendam
 pœnam, quam Judicis sententia statuerit, aliquam in
 delinquente obligationem esse, hoc sensu, ut eandem
 si fieri possit declinare, effugere, aut quocunqve modo,
 qui novi sceleris nihil involvit, amoliri à se non de-
 beat. Vid. *Pufendorf. O. Lib. VIII. Cap. III. f. 4.* Cui qui-
 dem Thomas. *Jurispr. Divin. Lib. III. Cap. VII.* contradic-
 tit, sed cujus argumentis tum in conspectu, tum aliis,
 quæ proxime dabitur, occasione satisfaciemus. Quan-
 quam autem dicto loco Pufendorfius de solo foro hu-
 mano agat, uti protestatur sub init. f. 2. idem tamen
 & suo modo de tribunali divino dici potest, cujus effe-
 ctus non à consensu, voluntate & obligatione pecca-
 toris, sed ab ipso iræ divinæ efficacissimo rigore pen-
 det, qui semel incitatus, ni mature pœnitentia, depreca-
 tione, aut intercessione aliena mitigetur, nullâ deinde
 humana ope vitari potest, quo casu absoluta necessi-
 tatis

tatis posito de obligatione ejus, quem necessitas illa premit, quæere
 supervacaneum est, quod in stato civili secus habet. Atque illa ut ita
 dicam inevitabilitas unicum est infallibile pœnæ divinitus constitutæ
κατὰ θεον, quæ ubi abest, nonnisi mera futuri eventus prædictio cer-
 nitur adesse, quæ quanquam generaliter non fallat, utpote pro funda-
 mento divinam omniscientiam habens, circa casus tamen speciales
 libertatem homini non adimit, licita quacunq; ratione, incommo-
 dum avertendi. Unde porro dubitari potest, utrum ad formulam
 pœnæ divinitus constitutæ pertineant, an pro mero futuri eventus
 omine verba illa sint accipienda, quæ de re optime omnium judica-
 bitur ipso casu exactius inspecto. Legem itaque DEUS tulerat de
 non comedendo certi generis pomo, pœnam violatæ Legis statu-
 erat mortem, atque peccato illo admissio mors est secuta, quæ Ada-
 mum pariter ac Evam tetigit, & porro omnes citra exceptionem mor-
 tales tanget. Atque hæc est satis plana delicti ad pœnam, sententiæ ad
 eventum relatio. Ast deinceps in promulgatione sententiæ DEUS, ut
 fieri ab iratis solet, duris mimacibusq; verbis usus ipsum velut pœnæ
 genus asperavit, & facinoris sensu attonitis ulterius mala sua expli-
 cuit, ut ad mortem, quam sibi consciverant, nonnisi per miseram
 atque ærumnosam vitam sperarent perventuros. Unde speciminis loco
 Adamo qui, si peccato abstinuisset, fructibus sua sponte natis cum
 voluptate vesci potuisset, tenuioris victus parandi difficultatē, formi-
 na quæ svavissimo Viri consortio, si jura integritatis servasset, usura
 fuerat, corrupto nunc ipsius ingenio asperrimam cohabitationem, &
 familiaris imperii impotentiam proponit. Hæc itaque omnia & quæ
 inde sequuntur prædictiones sunt de tempore futuro, quod proprie
 dictam pœnam antecedit, cujus omina quanquam verissima sint,
 æqualem tamen cum pœna sustinenda necessitatem non invol-
 vunt: Cum hæc à voluntate statuentis proveniat, illa prædicentis
 scientiam, quæ in intellectu est, declarent, ast ideo pœna statuitur,
 ut irrogetur, non autem ideo aliquid fit, quod DEUS illud futurum
 sciat, sed quoniam res futuras velut præsentem DEUS intuetur, inde est,
 quod ipsum cognitio sua fallere nequeat, & ex cognitione prævia veri-
 tas sequitur prædictionis. Non ergo obligationem statim involvit,
 quicquid indicat necessitatem. Sic pauci mares sunt à victus parandi

...Manto Regia.
molestia immunes, nec tamen peccare dicendi sunt, qui partis à majoribus divitiis fruuntur, quos casus divites fecit, aut qui eam abstinentia sunt, ut parvo atque parabili victu vitam tolerant. Sic paucissima feminarum exempla dantur, quæ sine doloris sensu pepererunt, nec tamen felicitas earum crimen habet, aut quæ de levandis partibus doloribus laborant, dum oleum operamque perduunt divinam simul gratiam jacturam faciunt. Pari itaque ratione desubjectione feminarum maritis præstanda est existimandum cujus ea quidem necessitas mulieribus incumbit, ut vix ac ne vix quidem, una vel altera illarum eandem evitare possit, nec tamen sequitur, peccare eas, quæ in statu naturali persistentibus occasio enascitur, imò matrimonio libertatem retinendi. Sæpe etiam inter privatos femina prudentior est viro, nec sola Abigail est, quæ maritum fatuum appellare ausit, & non perirecum suis velit, reifamiliaris curam in se suscipere cogatur. *1. Sam. XXV. 25. seqq.* Quid ergo operabitur prædicio divina, si præceptum non facit? An ergo jus saltem ad exigendum obsequium tribuet Marito? Nec hoc quidem temerè affirmari potest. Sublata enim obligatione obsequii, quæ ex parte mulieris putatur adesse, jus quoque imperii, quod ad Maritum pertineat, tollitur. Deinde à mente DEI minantis collationem juris in eum, qui exequi minas debeat, abesse demonstrari inde potest, quod sæpius minæ divinæ absente eo, à quo malum proficisci debet, fiant, quod sæpe ad posteros urriusque partis eventus pertineat, quod sæpe casus, quem minæ respiciunt cum injuria ejus, cui malum confertur, sit conjunctus. Dicitur autem non potest, in ignorantem jus conferri, aut DEUM ipsum ad inferendam injuriam jure quæquam instruere. Sic DEUS populo Israelitico mutationem status Theocratici affectanti mala omnia regni tyrannici ob oculos per Samuelem ponit. An ideo ad exercendam tyrannidem jus Regibus contulit? Ut imperite quidam ac improbe censuerunt. Achab certe si ad eripiendas subditis vineas *1. Sam. VIII. 14.* divinitus sibi collatum jus putasset, precibus, pretio, dolo, scelereque ad acquirendam Nabothi vineam opus minime habuisset, nec immerito ille perisset, qui jura regia agnoscere recusabat. Sic DEUS exitium Judæis interminatus dici non potest Romanis ad evertendum dum Judææ impe-

imperium jus concessisse. Alias enim Judæis fas non fuisset Romanis repugnare, qui tamen justum utrinque bellum leguntur gessisse. Jus autem alicui conferre, & eidem contrarium jus alteri indulgere, nugatorium est. Unde quid de presenti casu existimandum sit, facile intelligitur. Nec certe locus aut tempus acquirendo juri idoneum erat, cum in eo esset iratus judex, ut pœnam sonibus infligeret, quo tempore præmia conferri & jura tribui non solent: Ac inter ejusdem delicti participes fieri non potest, ut quod alteri malum infligitur, alterius commodo cedere jubeatur. Si vel maxime autem ponamus, dicto loco Gen. jus exigendi ab uxore obsequii divinitus in maritum collatum esse, novo tamen opus erit scripturæ sacræ textu, ut ostendatur, jure illo cedere maritum, & se eodem in gratiam uxoris non posse abdicare. Qui enim simpliciter jus illud cum præcepto conjunctum dicunt, illi cum jure obligationem miscent, circulumque petunt. Mederi huic incommodo, ut solet, ingeniose voluit *Thomas. L. c. C. III. §. 48.* ubi pœna divinitus constituta exactorem statuit Maritum. Sed obstat sententiæ Consult. Viri, quod constitutio illa exactoris pœnæ in textu nusquam compareat, sunt enim diversissimi actus ejus qui pœnam statuit & qui constituit pœnæ exactorem, quorum alter alterum non comprehendit. Quod ipsum si facere DEUS voluisset, quare ad Evam potius, quam ad Adamum pœnam à muliere sustinendam peculiari ministro opus esse DEUS judicavit, qui tale quid contra Adamum non legitur constituisse. Dicendum est porro aut totius sententiæ divinæ exactorem esse Virum, aut partis ejus. De tota sententiâ vix illud affirmari potest cum intelligi non possit, quia ratione dolerum, quos ab imprægnatione & in partu mulier sustinet, exactor sit Maritus. Si vero de parte idem est accipiendum, ostendenda erit ratio diversitatis, quare ad eam solum exigenda pœnæ facultas sit restricta.

II. Argumentum, quod contra nos ab ordine creationis ducitur, roboris vix quidquam habet, nam & bruta animantia prius sunt homine creata, nec tamen id obstat, quo minus in eadem potestatem homo habeat, nec vitur eo ratiocinio Apostolus *1. Cor. XI. 7.* ut & *1. Tim. II. 11.* pro adstruendo imperio Mariti sed pro destruenda impe-



muliebris affectatione, quæ cum diversissima sint, converti nullo modo possunt, uti ostendit *Horn. de Civ. Lib. II. Cap. I. & Thomaf. d. l. C. III. §. 22. seqq.*

III. Quæ *Ephes. V. 23. Coloss. III. 18. 1. Petr. III. 2.* leguntur, præcepta hypothetica sunt, & ad præsentem statum illorum, quæ scriptæ sunt literæ respectum habent, quos inter tanquam privatæ fortis homines, & Legum Civilium auctoritati subditos maritale imperium legitime constitutum erat, quod cum DEO nulla ratione displiceat, tantum quoque abest, ut Apostolus damnet, ut potius confirmet, quo ipso autem libertati eorum, qui in statu naturali degunt nequaquam præjudicat. Quemadmodum qui à servis herile obsequium exigit, liberos propterea homines in servitutem tradere se non jubet. Quodsi autem in scriptis Paulinis absolutum præceptum videtur inesse, dici poterit haud absurdè, idem tacita dicto casu dispensatione DEUM mitigasse. Sive enim immediate Majestas à DEO sit, uti quidam volunt; sive ordinem civilis imperii abs hominibus inventum postea DEUS approbarit, quæ sententia Grotii est; sive denique DEO instigante & promovente consilium instituendi imperii civilis homines ceperint, certum est tamen, ordini huic DEUM favere, nec adeo quidquam velle, quod jura ejusdem temerare, & statum Reipubl. possit evertere. Quo ipso ad superius dicta res redit, ut aut demonstretur, imperio fœminarum civili, aut saltem imperantium matrimonii voluntatem divinam repugnare, aut verò maritis jus tribui non debeat, quod civilis imperii juribus repugnet. Divisio enim locum hic non habet, ut penes virum maritale, penes conjugem civile imperium sit. Imperium enim quod alio imperio opposito eliditur, moraliter nullum est. Et quemadmodum quas partes civile imperium habeat, abundè scimus, ita quibus partibus maritale constet imperium, nondum, ut opinor, satis ad liquidum est perduendum.



COROL-



COROLLARIA.

I.

Qui ex dictamine rectæ
rationis præcepta Juris
Naturalis deducunt, nec re-
ctitudinem illam definiunt,
operose nihil agunt.

II.

Unica rectitudinis illius
norma socialitas est.

III.

Gradus matrimonii, qui
dicun-

dicuntur prohibiti, naturali
jure prohibi non sunt.

IV.

Juramentum obligatione
novam producit & non pro-
ducit.

V.

Qv. An inter hominem
Lutheranum & mulierem
Pontificiam matrimonium
constare possit ?



P. 409



Greifswald, Diss., 1702/05

ULB Halle

3


004 564 162




TA → Öl

mit 1 + 17 Stück verknüpft und
f

Wolp





5855

37.

1702, 7a

DISSERTATIO
DE
MARITO REGINÆ,

quam
In Academia Patria
Fratres Germani

JO. PHILIPP. PALTHENIUS,
Juris Natur. & Gent. Professor
Ordinarius,

Et RESPONDENS
SAMUEL PALTHENIUS,
Jurispr. Studios.

ad d. 28. Junii, A. O. R. 1702.
publicæ disquisitioni
subjiciantur.

GRYPHISWALDIÆ,
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.